IN DOMINI CAM. ORATIONEM PIA MEDITATIO,

qua, in Deum animus fidelis, mirum in modum excitatur.

Authore Patricio Coc-burno, Scoto.

&c.

Ex typographia Iohannis SCOT.
In Ciuitate Sancti Andreæ
.15. Calendas Octobris.
.1555.
Cum Priuilegio Regali.

5458

ILLVSTRISSIMAE PRINCIPI, GENFRIS Nobilitate, atq; virtutum omnium ſplendore, clariſſimæ: MARIAE, Regni Scotorum Regenti digniſſimæ, Patricius Cocburnus, obedientium humillimus, & obſequentiſſimus, Gratiã, Salutem, & Pacem optat, A deo patre noſtro, per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum.

VM ſæpe, ac multum, mecũ cogitarẽ (Princeps illuſtriſſima) quo potiſſimũ munere, pro ſingulari tua in hanc noſtram academiam Andreanã beneficentia, gratulando, meum erga

erga te officium, aut ſaltem animum officij præſtandi cupidum, et beneuolum oſtenderem: (quãdoquidem, ut illius mẽbrum, beneficiorũ, quæ in eam tua contulit amplitudo, particeps ſum effectus) animũ induxi meum, exiguum hunc libellum, precationis dominicæ vim, & efficatiam complectentem, tuæ dicare maieſtati: qui meo, & ſtudioſorum omniũ nomine, in quos tua contuliſti beneficia, tuæ claritati, ſuo quodã more gratuletur. Quod munuſculũ, & ſi non tua dignum amplitudine, meæ tamẽ humilitati, & ingenio reſpondet. Quid nos puſilli, tanta maieſtate dignum offerre poſſumus? Verũ quia principum, & heroum eſt, (iſtiuſmodi tu es princeps illuſtriſſima, clariſſimis, & heroicis nata maioribus) non eius quod offertur muneris pretiũ, & dignitatẽ, ſed offerẽtis vires quantũ valeant, atq; animũ, quantũ præſtare cupiat, expen-

dere

dere: nostrũ esse duximus gratificandi studium, aliquò saltem tenus, quoad eius fieri potest, pro nostra facultate, significare: nè ingrati, & beneficijs indigni videamur. Cũ superioribus his diebus, tributa nuper, pro rata census portione, patrio more, imposita, exigerentur: tua benignitas nõ solum a priscis scotiæ regibus, et charissimo tuo olim coniuge, huic academiæ conceßa immunitatis priuilegia cõfirmauit: sed & ampliorib⁹ eam cumulans, et ornans beneficijs, ab omni tributorũ, et cens⁹ exactione, et pensitatione, liberã et immunẽ esse uoluit: nè horrida præconũ voce, a sacris studijs auocarẽtur, qui iuuẽtuti erudiẽdæ, et saluti Reip. tuæ promouendæ, iugiter inuigilant. Agnouit nimirũ tua satis prudẽtia, hãc tuã in nos collatã beneficentiã, in totam Remp. tuã redundare: cum ex hac tua academia, tranquillitate, & ocio sancto, tuo

fru

5458

fruente beneficio (ut olim ex equo illo troiano armati milites irruerunt) prodituri sunt uiri, bonis literis ornati, atq; omnium bonarum artium genere, instructi, & muniti: qui in Rep. tua moderanda, & administranda: in Christiana item religione, et fide, propugnãda, & promouẽda, tibi, tuæq; filiæ MARIAE Reginæ nostræ serenissimæ, Reip. & Regno, vsui, & ornamento esse possunt. Quoniam imperatoriam maiestatem, (ut inquit Iustinianus, uerbaq; sunt, imperatoria maiestate plane dignissima) nõ solũ armis decoratam, sed & legibus oportet esse armatã, ut vtrumq; tempus, & bellorum, & pacis, recte possit gubernari, & princeps non solum in hostilibus prelijs victor existat, sed etiam per legitimos tramites, calũniantium iniquitates expellat, & fiat tam iuris religiosissimus, quám victis hostibus triũphator magnificus. Quo inge-

nia

nio plane regio te præditam ostendis, hac tua in nostram academiã beneficentia: pro qua, & á nobis, et ab vniuersa Rep. amplitudini tuæ habenda est gratia. Et quia pares referre gratias non possumus, perpetuo sumus habituri, & pro facultate, quas possumus, ex animo referemus. Multis item, & alijs nominibus, plurimas tuas uirtutes, & dotes illas singulares, quibus te ornauit dominus deus, amplitudini tuæ congratulari, & possumus, et debemus: quæ á defuncto Rege nostro illustrissimo, & inuictissimo, IACOBO, quinto, charissimo tuo coniuge, annos iam plus minus tredecim, in ætate bona, & integra, vidua castissime, & integerrime viuens, nullis vigilijs, nullls sumptibus, nullis laboribus pepercisti, quò Remp. nostram nutantẽ, & collabascentem, sustentares: (cum á vicinis hostibus infestaremur, qui tum regni

5458

uiſcera penetrarũt) tanquàm altera Iudith (quæ & caſtitatis ſpeculum, & populi dei fuit liberatrix) inuictæ fortitudinis, & inſignis pudicitiæ, exemplũ prebens. Quæq; a ſuſcepto Regni gubernaculo, non minus fideliter eam & iuſte, regis, gubernas, moderaris: quàm ſtrenue, & diligenter, dudũ conuulſam, & labefactatam, ſtudebas inſtaurare: tuis ornans virtutibus, progeniem & Principes (ex quibus es prognata, illuſtriſſima ſtirpe digna proles) antiquiſſimæ, & clariſſimæ familiæ, LOTHARINGIAE: et item inclytæ familiæ GVISIANAE, cui peculiare uidetur literatis auxiliari uiris: quemadmodum teſtantur ingenuarum artium peritiſſimorum hominum præclara illa monimenta, clariſſimo principi, CAROLO LOTHARINGO, Cardinali, tuo fratri dedicata. De ijs itaq; dotibus, quibus te ornauit dominus, de hac

tua

tua fœlicitate, & ampliſsimis tuis beneficijs, & ſi iure debemus omnes tibi congratulari: præter cæteros tamen maxime, in hac tua academia andreana bonarum literarum ſtudioſi, quos beneficio ſingulari tibi deuinxiſti. Non tantum poetæ illi, & ſcriptores romani (quo tempore, vrbs, & literis, & viris ſtudioſis maxime floruit) ſuis fuerunt mecœnatibus, quantum nos tuæ obnoxij ſumus maieſtati. Cui non minora debemus, quám inclyta lutetiæ Paririſiorum academia CAROLO MAGNO, Imperatori debebat, qui prima illius fundamenta iecit. Quamq; Chriſtianiſsimo gallorum Regi FRANCISCO qui uiris eam vndequaq; peritiſsimis, linguarum, & omniũ bonarum artium genere locupletauit, et ornauit, adeo ut filiã iure, ueréq; ſuã, eã vocare potuit: cũ affectũ uere

pater

54558

paternum, ſua in eam munificentia, magnificentiſſime exhibuerit. Vel quám nunc debet, Chriſtianiſſimo, & inuictiſſimo galliarũ regi, HENRICO, qui ſuam illã, omniũ nunc academiarum matrem, & facile principem, literarum, et artium gloria florentẽ, ſtudet, ſua reddere uirtute, atq; opera longe florentiſſimã. Cũ itaq; tot, & tanta tuæ debeamus amplitudini: Cumq; natura ipſa, ut in bene meritos officium exigit, ita accepti immemorẽ beneficij, ut ingratum, & inhumanum aborreat, & quodãmodo execretur: Hoc ego munuſculũ delegi, tuæ exhibendum maieſtati: tum quòd meæ tenuitati, atq; ſeculi huius infœlicitati reſpondeat: tum quòd ingenium tuum humaniſſimũ, ab hoc genere ſtudiorũ non abhorreat. Cum mearũ virium non ſit, eam, quam debeo, gratiam referre: hoc mihi ſupereſt reſidui, ut ad illum me conferam, (ex quo,

tu

tu ſceptrum, & nos habemus omnes, quicquid habemus boni: qui petentibus in fide, largitur affatim, nec exprobrat) petiturus quatenus ex prędiuiti diuitiarum ſuarum, promptuario, ſuis, hęc tua, compenſet beneficijs: gratiamq; referat, & gratiã pro gratia. Inſuper & preces a nobis videtur exigere temporis huius infœlicitas, quo ſic increſcit hominum malitia, & impietas, ut nihil appareat fidei, & religionis ſanctæ inter mortales. Charitas refrixit, iniquitas ſuperabundat: vereq; locum habet illa domini exprobratio, et quaſi querimonia. Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia dei in terra: maledictũ, et mẽdatium, & homicidium, furtum, et adulterium, inundauerunt ſuper terram, & ſanguis ſanguinem tetigit. Propter quæ luget terra, dicit dominus. Propter quæ, iam olim mundũ perdidit diluuio. Propter quæ, Hoſe. 4. Gen. 6. 7.

So

5458

Gen. 19. Exo. 1.5.32 Num. 16.21. 25. Testãtur libri Iudicũ,et Regũ. Ro.2.

Sodomã,et gomorrhã, extinxit igne sulphureo. Propter quæ,multis ãnis suũ afflixit populũ in ægipto, et item in deserto. Propter quæ, sæpe illos tradidit in manº gentiũ, qui illis dominabãtur, duróq; premebant iugo seruitutis. Propter quæ,et patres nostros, hoc nostro seculo,et nos afflixit:peste,gladio, et fame corripiẽs. Testantur huiº nostræ ætatis calamitates,et quas experti sumº,funestæ clades. Atq; ista nũc quæ diuino dat beneficio respiratio,hec dei bonitas, lenitas, tolerantia, ad pœnitentiã nos inuitãs: ut in respiscentes, et morigeros, gratiæ, et benignitatis: ita in rebelles, et contumaces, superuẽturæ diuinæ iræ,et ultionis est indiciũ: qui vindictæ tarditatem, supplicij grauitate, et satis amplo cum fœnore solet compẽsare. Quoniã,et heri,et hodie,et omniũ seculorũ ab æterno,in sempiternũ,idem ipse manet, misericors dominus, & iustus

iu

index. Nisi pœnitentiã egerimus, hęc quæ nobis contigere mala: afflictiones, & aduersitates, quas nostro seculo sumus experti, calamitatis acerbioris, prænuncia tantum sunt, & præludia. Quod superest flagelli irati dei, veniens veniet: quoniam in his omnibus quæ acciderunt, (ut inquit propheta) non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Cũ ad placandã itaq; dei iram, ad euitandos ictus gladij furoris, et ultionis domini, iam exerti, nostrisq; cervicibus ineumbentis: cum ad satanæ vim repellendam, atq; ignea illius mali tela extinguenda: ad vincendũ mundũ, & ea quæ in mundo sunt: ad carnis, & concupiscentiæ insultationes reprimendas: ad demerẽdam, & cũ deo conciliandam gratiã & pacem: ad debellandas aduersariorum quascũque potestates, viresq; omnes illorũ conterẽdas, nihil uel cogitari potest commodius, Esa. 5

op

5458

opportunius, potentius, efficatius, humili, & pia oratione, ex animo peccati conscio, gementi, contrito, magna, & constanti misericordiæ fiducia, diuina innitenti gratia, & promissione, in IESV Christi domini nostri, nomine profecta, et deprompta: eaq; potissimum, quam ipse dei filius, præceptor, ut longe optimus, ita longe sapientissimus, instituit, & præscripsit: ex qua tanquàm ex fonte, & deriuantur, & ad quam referuntur, omnes piorũ omnium precationes: hanc meam operam, huic seculo, & ætati, respondere satis arbitrabar. Præterea ingenium tuum pium, & humanum, quod ab hoc genere studiorũ non abhorret, animosiorem me facit, qui tantillum munusculum tuæ maiestati audeam exhibere. Si quando à maximis occupationibus, & grauissimis tuis laboribus (quos pro salute tuorum ciuium, Reip. & Regni subire soles) uel mi-

nimum datur ocij, ſi uel ad horam detur reſpirare: aut ſanctis precationibus, aut ſacrorũ Bibliorum vacas lectioni: dominici præcepti memor, iubentis, ut legem, ac mãdata ipſius in cordibus habeamus, eaq; domi, & foris, ſedentes, ambulantes, dormientes, & euigilantes, perpetuo meditemur: ut ſint tanquàm ſigna in manibus, & ante oculos collocata, ac ut memoriter illa teneamus, & ore decantemus. Precipue vero qui principatum tenent, & Remp. adminiſtrant, qui ſunt terræ iudices: quos uult dominus eruditos eſſe in lege, & ut apprehendant diſciplinam, nè pereant de via iuſta, cum exarſerit in breui ipſius ira, & quò potentiores ſunt, potentius tormenta patiantur. Hæc ſtudia in principibus, uel ipſa exigit natura: nam qui ſibi morigeros optat ciues, quos imperio ſubiectos habet: nullũ non lapidẽ mouere debet, quo ſuum principem

Deu. .6.
Deu. .11.
Deu. .31
Pſal. 2
Sap. 6

5458

Aug. ad ꝓbam. Hier. ad Athletã Marcellã, Paulã, & Eustochiũ, Io. Chrys. in. c. i. Io. Homil. 10. & 16.

a Ex pẽtatheuco Mosi regib⁹ et prophe. b ex Mose Daui de Salomon. c ex libris Iosue, Iudicũ et regũ d ex Iob, Thobia, Iudith,

cipem, & regem, dominorum dominum demereatur: eòq; facilius demerebitur, quò uoluntatem illius nouerit exactius, & agnitæ studuerit diligentius obedire. Facis itaq; princeps illustrißima, quod tuam decet amplitudinem, dum sacrorum Bibliorum das operam lectioni. ✠ ☞ ¶ Ad hec sacra studia, sancti patres hortati sunt vehementer vtriusq; sexus homines. Ex his libris tua discit amplitudo: a quomodo Patriarchæ, & Prophetæ, Deo optimo, maximo placuerunt: fide nimirum viuida, & sancta obedientia.

b Sapientiam, & Rerum publicarum iustam administrationem. c Quæ bonorum principum gloria, & fœlicitas, quæ malorum fortuna, & casus.

d Patientiam, magnanimitatem, & dei erga suos prouidentiam. Grauissi

e simas item comminationes, iram, & ultionem in rebelles, & contumaces: & inexhaustam dei clementiam, & bonitatem in morigeros: atq; internam animi consolationē, & quomodo liceat, colloquijs dei, & dulcedine frui. f Ecclesiæ statū, & sanctæ religionis incremētum, et diminutionē: pie viuentiū persecutiones: impiorum, cū corporales, tum etiam spirituales afflictiones: hominū mutabilitatē, & inconstantiam, á numinis diuini cultù, & religione sancta, defectionem, & resipiscentiā. g Mūdi vanitatem, & quòd nihil sub sole nouū. h Ecclesiæ item christianæ faciem, & statū, instar nauis in medio mari, nunc vndis, & tē pestatibus obrutæ: nunc in tranquillo, veluti in portù nauigantis, né securitas et ocium ad dei obliuionem, et contemptionem: nèue perpetua aduersitas, ad desperationem allicíat: ac ut electorū fides magis enitescat *

e ex Psalmis, et prophetis.

f ex secūdo et quarto Mosi et libris iudicum & regū.

g ex ecclesiaste

h ex actis apostolicis.

5458

cat. ¶ Præterea afflictæ conſcientiæ medi
cinam, & præſens aduerſus morbos animi
ſpirituales antidotum: á ruina reſipiſcen-
tiam, pœnitentiam, et remiſſionem pecca-
torũ: pacem, et tranquillitatem, delitias
animi ſpirituales: diuinæ erga nos beneuo-
lentiæ, gratiæ, et miſericordiæ, longitudi-
nem, latitudinem, ſublimitatem, et profun-
ditatem, illamq; ſupereminentem omni hu-
manæ ſcientiæ, cognitionem charitatis dei
erga nos: atq; omnium cœleſtiũ diuitiarũ
copiam, & plenitudinem in CHRISTO
IESV Domino noſtro. Hęc omnia, in ſa-
cris Biblijs tanquã in ſpeculo limpidiſſimo,
cernere, diſpicere, contemplari, tuæ licebit
maieſtati. Hoc tuum in rebus ſacris ſtu-
dium, continuet, augeat, & confirmet, do-
minus deus, pro ſua bonitate. Nam ut fie-
ri non poteſt, ut dei contemptores, et hoſ-
tes, Remp. ſibi commiſſam, ad dei gloriam,
et ciuium ſuorum ſalutẽ, rite adminiſtrent:

ex Euã geliſta- rum, et apoſtolo rũ ſcrip turis ca nonicis.

ita haud facile cum ea Rep. agi potest male, cui⁹ princeps, dei metuens est, et amãs. Meo itaq; iudicio, haud male conuenit cum illius ingenio diuinarum precum libellus, cuius animus sacrarũ literarum studio, & lectioni, & Dei optimi, maximi, contemplationi totus est addictus. Accipias itaq; benigno vultù, Regina illustrißima, munusculum ab animo beneuolo, & amplitudinis tuæ studioßißimo, profectum. Quod si tuæ maiestati gratum, & acceptum, intellexerimus: excellentiores ingenio, & eruditione viri, his præstantiora, & tua maiestate digniora, exhibebunt. Et ego pro uiribus, & ingenio, quam possum, operam, & officium præstare, non cessabo.

Vale.

Ex academia tua Andreana. 15. Calendas Octobris. Anno Domini.

.1555.

5458

¶ IN ORATIONE PIA, ET FIDELI OBSERVANDA.

Mandatum, et Promissio.

ORATVRVS *ante mẽtis oculos habere debet, mandatũ dei, iubẽtis orare: & promissionem: qua pollicetur, se orantem exauditurũ.* Petite (*inquit*) *et dabitur uobis, quærite, & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Omnis qui petit, accipit, et qui quærit, inuenit, et pulsanti aperietur. Promissio debet esse instar scopi, in quem orantis animus perpetuo debet collimare: atq; ancoræ sacrosanctæ qua constanter innitatur.*

Mat. 7
Luc. 11.

¶ ORANDVM HVMILITER.

1 Re. 1.
Iud. 8.

Q Vemadmodum orauit Anna mater Samuelis, & Iudith. Et sicut orauit Publica-

nus, qui non audebat in cœlũ oculos leuare, ſed percuſſo pectore aiebat, deus propitiꝰ eſto, mihi peccatori. Quoniã ſuperciliũ phariſaicum odit dominus: qui populũ humilem ſaluũ facit, et oculos ſuperborũ humiliat. Superbis enim reſiſtit, et humilibus dat gratiam. Lu.18 Pſal. 17. Iac.4 1Pe.5

☞ ORANDVM EX ANIMO. PENITENTI ET CONTRITO. Iud4

☞ Quẽadmodũ Iſraelitæ, vrbem Bethuliam obſidente Holoferne, Dominũ precabantur: & ſicut orauit illa viduarũ caſtiſſima, et inuictiſſima Iudith populi dei liberatrix: et Thobias: et rex Dauid, ſpeculũ pœnitentiũ. Et Ezechias, et Manaſſes. Sacrificiũ deo, ſpiritus contribulatus: cor cõtritum, et humiliatũ, deus non deſpiciet. Iud.9 Tho.5 Pſal. 50 141 .149. 2Re. .19. 2Pa.33 Pſal. .50.

⚜ ORANDVM ASSIDVE.

OPORTET ſemper orare, et non defatigari, dicit dominus. Sine inter- Luc.18

5458

1 Thes. 5. Exo. 17. 1. Re. 12. Lu. 2. Ac. 1. 2 Iac. 5.

missidne nos orare, iubet Paulus. Sic orabat Moyses, cuius lassas inter orandũ manus (dũ pugnaret Iosue contra Amalech) Hur & Aaron sustentarũt. Hoc modo orauit et Samuel: absit à me, inquiens, nè ego peccẽ in dominũ, si cessem orare pro uobis. Hoc modo orabat Anna prophetissa filia Phanuelis. Hoc modo precabantur Apostoli Domini: qui vnanimiter in oratione perseuerarũt. Multũ valet deprecatio iusti assidua.

ORANS NON PRÆSCRIBAT LOCVM, AVT TEMPVS, QVO EXAVDIAT DOMINVS.

Iud. 8

SVO tempore, suoq; loco, pro modo, et mẽsura dabit dominus quo petentibus nouerit maxime expedire. Humiliemus, inquit Iudith, in conspectu eius animas nostras, atq; humiles expectemꝰ consolationẽ eius: daturus est quod petimus, & opportunius, et uberius quám mens humana, uel optare

poteſt uel cogitare.

ORATVRVS INDIGVM SE intelligat, earum rerum quæ poſtulantur.

CHRISTI *Domini Mater, & Virgo, eſurientes inquit impleuit bonis. Qui petit, quod penes ſe habet, ridere potius, q̃ orare uidetur.* Luc.1

Orandum cum fiducia, & ſpe impetrãdi, quæ poſtulãtur.

Omnia quæcũq; petieritis in oratione credentes, accipietis, dicit Dominꝰ. Qui hæſitat nõ exiſtimet ſe quicq̃ accepturũ a dño. Mat. .21. Iac.1.

In oratione petendum eſt rite.

¶ *Secundum voluntatem Domini.* 1Io.5.

In oratione petendum in Chriſti Nomine.

Amen dico vobis, quæcũq; petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis, dicit dominus. Io.16

Qui in hunc modum animati, deum precantur, exaudiuntur.

5458

¶ORATIO DOMINICA

Ater noſter qui es ín cœlís,
Sanctificetur nomen tuum.
Adueníat regnum tuum.
Fíat voluntas tua, ſícut ín cœlo, & ín terra.
Panem noſtrum quotídíanum da nobís hodíe,
Et dimítte nobís debíta noſtra ſícut et nos dimíttímus debitoribus noſtris.
Ft ne nos inducas in tentationem.
Sed líbera nos a malo.
Quía tuum eſt regnum, et potentía, & gloria, ín ſecula.

AMEN.

DOMINI CAM ORATIONEM PIA MEDITATIO,

qua, in Deum animus fidelis, mirum in modum excitatur. Authore Patricio Cocburno, Scoto.

&c.

Pater.

DOMINE, DEVS, *rex omnipotens, misericordiæ pater, & æquitatis amantissime, cœli, & terræ, rerũq; omniũ, visibilium, & inuisibilium, creator, conseruator, & moderator: Peccator ego omnium miserrimus, & ingratissimus, indignum me confiteor, qui oculos, manùsue, tollam, ad tuam celsitudinem, quam peccatis meis, quę numerosiora sũt arenis in lit-*

A tore

5458

tore maris, toties, ac tam enormiter, offenderim: nedũ qui inuocẽ opitulatorẽ, aut incõspectũ prodeam, aliquid ex tua benignitate petiturus. Me prorsus fugit, quibus uerbis, aut quo nomine, tuã inuocare maiestatem, uel audeam, uel debeã, indignũ onus quod uel ipsa ferat terra. Dominũ te dicam? vti es dominorũ dominus, rex regũ, principatũ tenens & imperiũ, super omnia: cuius præceptis obediunt cœli & terra, & quæ in eis sunt: Cui flectitur omne genu, cœlestium, terrestriũ, & infernorũ: sed te meum inuocare dominũ, quomodo audeam? Cuius præcepta tam frequenter sum transgressus. Cuius maiestatem adiram toties prouocaui. Deum te appellabo, qui reuera unus & solus deus es, & preter quem non est alius? Sed qua fronte te meum compellabo deum? cum & maiestatem contempserim, bonitatẽ neglexerim, et beneficijs tuis collatis

Esa 54
Phil. 2
Deu. 6
Esa 45

tis ingrato, sim abusus, tuæq; tolerantiæ & lenitatis diuitias sim asperniatus: quĕ neq; ea qua decuit reuerentia colui, neq; cultu obseruaui, neq; religione sum ueneratus, neq; eo quo debebam honore glorificaui. Patrem te uocabo, rebellionis & ingratitudinis meæ conscius? qui tantum abest ut quidquam egerim hactenus quod sit filij, ut nec quod sit serui: imo tantum abest, ut obedierim tanq; seruus, ut tuo mandato inobediẽs, fuerim rebellis, et quasi aperto marte bellum tibi indixerim, cum prudens, & sciens, quod prohibueras fecerim, quod iusseras neglexerim. Ego peccatis meis, et abominationib⁹ (quibus Sodomã & Gomorrham videor iustificare, adeo sunt fœdæ, multæ & magnæ) indignũ me reddidi, qui enarrem iusticias tuas, aut nomen tuũ glorioſum, per impurum os meũ debeam assumere. Cum mecũ reputo quãtam maiesta-

tem

5458

tem offenderim, quàm benignum & munificũ patrem reliquerim, qua fronte audebo in cœlũ oculos leuare, nedum dominũ, deũ, aut patrem meũ compellare, homuncio rebellis, fœdefragus, perditiſſim⁹? Verũ econtrario dum mecũ reputo, animo ac mẽte voluo ac reuoluo, miſericordiæ et benignitatis tuæ multitudinẽ, & magnitudinẽ, latius quã ab oriente ad occidentẽ, quàm á profundo terræ centro ad ſummũ cœli faſtigium extenſæ & dilatatæ, quæ ut finem non nouit, ita nec ullis poteſt coarctari anguſtijs, aut termino concludi (miſericordia tua domine ſupra omnia opera tua) tantũ abeſt, ut animũ deſpondeam, tuæ maieſtatis quam offendi, et meæ offendentis miſeriæ, indignitatis, & ingratitudinis memoria, ut reſumptis animi uiribus, audeam ad thronum gratiæ tuæ me conferre: & non ſolũ oculos, manuſq; tollere ad ſummã illam tuam

cel

celsitudinẽ, verũ tua fretus bonitate, et misericordia, nihil dubitẽ, et deum meũ & dominũ, et patrẽ etiam compellare. Et quomodo dubitarem, cũ patrẽ iusseris appellare? pollicitus peccatorũ nostrorũ immemorem fore te, simul atq; ad te conuersi ex animo ĩgemiscim⁹: et quòd pœnitentiã agentibus, nõ sit futura nobis iniquitas nostra in ruinam. Neq; delicta nobis imputanda fore. Etiam si cum plurimis te relicto fuerimus fornicati, reuertentes tamen te nos suscepturũ: facturumq;, ut peccata quæ diuiserunt inter te & nos, tametsi ut coccinũ & uermiculus sint rubra, instar niuis, & lanæ albæ splendescerent. Ac non solũ nos te patrem appellare iusseras, preces ad te clamantium promittens exauditurũ, sed & ipsam precandi formã, uerbaq;, per dilectum filiũ nobis præscripsisti. Te autẽ iubẽte, & exauditurũ te promittẽte, tametsi indignissimus

Ezech. .18.

Ezech. 33.

Zac. 5.

Esa. 1.

5458

niſsimus et peccator omniũ maximus, omniũ miſerrimus, cur debeã cunctari comite pœnitẽtia, ad thronũ tuæ gratiæ me recipere, & te, licet omnipotens ſis illa uis, ſummaq;, & æterna maieſtas (ſicut me docuit, iuſſitq; filius, uerba, formãq; orandi præſcribens) inuocare, & compellare patrẽ? Nam filius eã precandi formã non præſcripſiſſet, niſi ut iſtac appellatione, te inuocaremus, tua voluntas eſſet: qui et potentiæ tecũ, et bonitatis, & uolũtatis eiuſdem eſt. Ipſo autẽ filio tuo vnigenito doctore, et monitore, exigente, et iubente, quid eſt quod me uel debet, uel poteſt remorari, quominꝰ te patrem appellem, qui rex regũ es, & dominus dominãtium? Indignus licet ſim, qui uiliſsimi ſerui loco debeã haberi. Præterea, non dedignaberis ab his appellari pater, quos filius tuus dignatus eſt appellare fratres. Itaq; non meæ uilitatis, indignitatis,

impi

impietatis, memoria de actus, sed offensæ qua tuam prouocaui maiestatem, serio, & ex animo pœnitens, tuæ inexhauste misericordiæ, & bonitatis fiducia fretus, mãdato impulsus, promissioni fidens, in nomine filij tui vnigeniti, iubentis te nostrũ patrẽ compellare (qui nihil iubebat vnquam nisi quod tibi vndequaq; gratissimũ foret) et de tua erga nos paterna uolũtate, et precũ nostrarũ exauditione, nos certos facientis, cũ oĩbus pijs ecclesiæ tuæ mẽbris, in his terris, sicut me docuit ipse filius tuus dilectissim⁹, ex toto cordis affectù, oro, teq; interpello, pater. ☞ In illius nomine, flecto genua cordis mei, atq; animam meã in conspectu tuo totam effundo: in cuius nomine petentes non soles auersari. Peccata mea plurima sunt, maxima, grauissima, arenis quæ sunt in littore maris numerosiora. Sed tua domine misericordia superat vniuersa.

illo

Illorum me pœnitet ex animo: tù itaq; qui cor contritũ & humiliatũ non deſpicis, nè mearum iniquitatũ, ſed tuarũ miſerationũ multitudinẽ, neq; ad meam indignitatẽ, & iniuſticiam, ſed in faciẽ CHRISTI filij tui, in illius obedientiã, et dignitatem, reſpice: non quid nos promeruimus, ſed quid ille dilectus apud te nobis ſit promeritus, expendens: Et nos indignos ſeruulos tuos, nomine, & uerbis eiuſdem tui filij, ad te clamantes exaudi, pater in cœlis benigniſſime.

Qui nos cum non eſſemus, tua ineffabili uirtute & potentia ad imaginem & ſimilitudinem tuã condidiſti, in iuſticia, ſanctitate & ueritate: tua inenarrabili prouidẽtia, et ſapientia, regis, alis, & gubernas, alioqui perituros: qui inexhauſta tua clemẽtia & bonitate, lapſos reſtituiſti, rebelles reconciliaſti, perditos, & perpetuæ addictos ſeruituti, redemiſti, non auro, uel ar-

gento, ſed pretioſo ſanguine filij vnigeniti, pro inimicis redimẽdis, & reconciliandis, illũ dans ad mortem crucis. In quo quidem redemptionis opere, quod eſt ſupra omnia opera tua(dixiſti & facta ſunt, mandaſti, & creata ſunt vniuerſa: hic autem oportebat filium pati, quò iuſto rigori iuſti iudicij tui ſatiſfieret) tua maxime elucet bonitas, & paterna beneuolẽtia declaratur. Quãdo ita q; tot modis patrem te nobis oſtenderis, cum q; tuus ſit iußus ut patrem compellem⁹, filiuſq; formam præſcripſit orandi: in nomine eiuſdem filij tui vnigeniti, te inuocamus, Abba Pater noſter

NOSTER.

NOS O cœleſtis pater, quæcũq; petimus, quæcũq; cupimus, ex tua nobis benignitate donari, omnibus, quos tua bonitas & miſericordia per unam fidem, unius

5458

unius ſpiritꝰ communionẽ, unũq; baptiſma, in tuorũ ius filiorũ adoptaſti, atq; in unam familiã, et hereditatis conſortiũ aſciuiſti, petimus impertiri. Nemo quiſquã ſibi peculiariter rogat aliquid, ſed omnes qui ex te uno ſoloq; noſtro patre pendemus, tanq; unius patris communes filij, atq; unius corporis mẽbra, eodem animata ſpiritu, quod in cõmune oĩbus expedit, id oĩbus in cõmune impertitũ iri poſtulamus. Non enim audemꝰ precationẽ hanc inuertere, aut aliud quidquã in ea abs te petere, quã quod iuſsit filiꝰ tuus, nec aliter q̃ ille præſcripſit. Hoc enim modo, petentibus promiſit, quicquid in ipſius nomine ex te petamus, impetraremus. Aequũ eſt enim, ut fraternæ dilectionis affectu, eos bonorũ tuorũ participes cupiamus, qui talis ac tãti patris nobiſcũ cõmunes ſũt filij, pro quibꝰ ut filiorũ ius aſſequerẽtur, filiũ dediſti ad mortẽ crucis. Aequũ

eſt

eſt, ut quod gratis donari nobis de tua benigna manu petimus, à rege & domino ingratiſſimi ſerui, nihil cõmeritis, idipſũ communicatũ cupiam⁹ ijs, quos ſimili nobiſcũ amore es proſecutus, quãdoquidẽ pro peccatis dediſti filiũ, omniũ tibi fidentiũ, quorũ tu numerũ atq; nomina ſolus noſti. Nõ vis nos ex te pater (qui charitatis, paciſq; deus es, ſolẽq; tuũ oriri facis, ſup pios et impios, ſup bonos et malos) quidquã poſtulatẽ, ſicuti nec petere nos decet, niſi quod omnibus ex æquo, tuis filijs, cõmunicatũ cupiam⁹. Cũ neq; quidquã nobis ea petitione poſſit decreſcere, nec earũ rerũ elargitione, quas petim⁹, de tua copia, quidquã poſſit diminui. At quia cæco amore noſtri ſic capti ſumus et demẽtati, ſuadẽtibus diabolo, mũdo, et carne, ut nobis ſemper proſpiciamus, ac nobis ſingulis ſeparatim, optima queq; cupiamus, neglectis fratribus, imo ſpretis

plerum

54458

plerumq;, & comtemptis: Emolli domine, emolli quęſumus ſaxea corda noſtra, ex lapideis fac carnea, ex immitibus humana, diffunde charitatẽ per ſpiritũ ſanctũ in corda noſtra, ut inuicem diligentes, et mutuis nos officijs inuicem iuuantes, uère, & ex animo, poſſimus dicere, te interpellantes, PATER NOSTER. Preterea, dũ nos iubet filius compellare patrẽ noſtrũ, magna conſolatione noſtri recreãtur animi, quòd ĩdubitata nos habet fiducia, apud te exaudi tos fore: iubens enim te noſtrũ patrẽ appellare, uult de tua nos paterna beneuolentia, q̃ certiſſimos eſſe: quid eſt te patrẽ noſtrũ eſſe, niſi cum omnibus tuis bonis, & diuitijs, te noſtrũ eſſe quantus quãtus es? Qui quod in ſũmo habebas pretio, filiũ dediſti in
Eſa. 9 fratrẽ, (ſicut olim es pollicitus per prophetam dicentem, filius datus eſt nobis: et parvulus natus eſt nobis) eumq; noſtris uſibus

totum

totum impendiſti, ita & teipſum nobis dediſti in patrem, ut nobis & noſter ſis pater. Non itaq; tam me deterret à te inuocando, illa ſummæ maieſtatis tuæ, et meæ indignitatis, & ingratitudinis, recordatio, quàm ineffabilis paternæ beneuolentiæ tuæ memoria, ad inuocandum, & te patrem appellandum animat. Tua me confirmat dilectio, & miſericordia, qua filium nobis in fratrem, & redemptorem, te autem in deum & patrem dediſti. Quid interceſſore filio tuo, fratre noſtro, qui ſedet à dexteris tuis interpellans pro nobis, á te noſtro patre optimo, maximo, benigniſsimo, expectare non debeamus? quandoquidem rebelles, & inimicos, gratis tua gratia, in gratiam recepiſti propter filium. Audi itaq; tuorum filiorum uota (quando hoc nomine nos dignaris,

licet

5458

licet indignos, qui ſerui dicamur tui) de terris ad te clamantiũ: ſicut nos pro omnibus eccleſię tuæ mẽbris, ita et omnia filij tui mẽbra, ipſa ſancta & vniuerſalis eccleſia, nobiſcũ orat, & apud te intercedit. Conſona itaq; voce in unitate ſpiritus, & fidei, te inuocamus, & oramus, Abba, Pater noſter, qui es in cœlis.

¶QVI ES, ille ſolus, qui ab æterno, & in ſempiternũ es idem, ſemper ipſe qui es: de quo ſolo, iure uereq; dici potest, es qui es: nõ aliunde accipiens, ſed ex temetipſo habens, quod es: dans ommibus eſſe, quę ſunt, fuerunt, uel futura ſunt. A principio, et ante omniũ rerũ creatarũ principiũ, et in ſempiternũ, ſine alteratione, aut uiciſſitudinis obumbratione, idem ipſe, ſemper manens qui es: omnis potentiæ, uirtutis, ac maieſtatis, ſapientiæ, prouidentiæ, iuſticiæ, bonitatis, & miſericordiæ, ſpiritus, incom-

pre

prehenſibilis, incircũſcriptibilis, æternus, omnipotens, immenſus, ſemper conſtans, ueraciſſimus, & ipſa ueritas: omnẽ in temetipſo continens plenitudinẽ, omnẽ ſufficientiam: de plenitudine tua gratiarum & bonorũ copiam & riuos effundens in omnes qui tibi fidũt, et gratiã pro gratia. Ipſa conſtãtiſſima, et æterna ueritas es, ipſa itẽ charitas es, et amor, quãdoquidẽ miſericordiæ pater, atq; omnis conſolationis, deus es (IN CELIS) rerũ omniũ creator, rector, & moderator. Omnia cernens, incomprehenſus, omnia complectens: per omnia infuſus, manens ſimpliciſſimus, per quẽ uiuit, mouetur & ſubſiſtit, omne quod eſt. In cœlis non eſſe diceris quaſi aliqua cœli regio te comprehendat, abſit. Cum cœlũ ipſe & terram impleas: cœli cœlorũ te non poſſunt capere: cœlũ tibi ſedes, terra ſcabellum pedum tuorũ. Nullibi itaq; compre- 3. Re. 8.

hen

5458

henderis, qui contines uniuersa. Verum ut cœlo sub aspectum nostrũ nihil cadit augustius, aut maiestate plenius, simulq; omnia quæ subtus sunt, suo ambitù complecti tur, omnia lustrãs, oĩa cernens: Dum in cœlis te esse dicimus, pater clemẽtissime, tuã incomprehensibilẽ maiestatẽ, prouidẽtiam, sanctitatẽ, & puritatem, significamus. Te ĩuocamus pater benignissime, qui ut de tua erga nos paterna beneuolẽtia, et fauore, nihil diffidimus, quãdoquidẽ iussit filius te patrem compellare: ita de tua potentia, et ad subueniendũ te quærentibus, et ad postulata te petentibus, præstanda, nihil dubitam⁹: qui in cælis es gloria, potentia, et maiestate summus, rex regum, & dominus dominantium, regnum, potestatem & imperiũ, tenens supra omnia. Cuius ut uolũtati nihil potest resistere, ita et potestati tuæ uniuersa sunt subiecta: qui deus es, & pater

in

in cœlis omnipotens. In cœlis etiam eſſe diceris, quòd in puris, & caſtis mẽtibus, tãquàm in tẽplis, et tabernaculis, ab oĩ ſorde, & immunditia alienis, ſoles habitare: quia es puriſſimus, ſimpliciſſimus, ĩcomprehẽſibilis, immẽſus. Intra temetipſũ manens, quietus abſq; ſolicitudine, ambiens, rotans, uerſans, & gubernãs omnia. Tuo radiorũ influxu ſalutifero, cuncta uiuificans: omnia luſtrans, oĩa cernens, oĩa penetrans, ubiq; preſens, ſine anxietate regens, alens, uegetans, & gubernãs omnia. Non terret maieſtatis infinitæ nomẽ ab inuocãdo, quòd in cœlis habitare diceris: quin magis nos animat, & confirmat, ſuaue patris uocabulũ, tuus inquàm erga nos paternus, amor, & beneuolentia, omniũ parentũ huius mundi affectũ erga liberos longiſſimo ſuperans interuallo. Non ſic & optimũ, & unicũ, amãt parentes filiũ, ut tu nos amas, pro qui-

5458

bus redimẽdis, quod habebas in ſũmo precio, dediſti filium unigenitũ, ad mortem crucis. Tametſi mater forte poterit unicũ uteri ſui filium obliuiſci, tu non obliuiſceris noſtri: et ſi a te deficientes cũ innumeris idolis fuerimus fornicati, pro tua tamẽ natiua clemẽtia, & bonitate, reuertentes ad te, pius amplexaberis. Itaq; hic maieſtatis tuæ titulus, quòd in cœlis eſſe diceris, non terrorẽ incutit, quominus accedere audeamus te inuocaturi, quin magis animat, & extimulat ad interpellandũ: Cum perſuaſum habeamus, tum ex mandato quo interpellare iubes, tum ex promiſſione exauditionis, te & uelle, quia pater, & poſſe, quia in cœlis dominus es oĩpotens, nobis impertire, et donare, quę poſtulamus. Carnales huius mũdi patres filios interdũ iuuare nequeunt, & ſi cupiãt maxime: tu uero pater in cœlis habitans, nihil nõ potes qui es oĩpotens.

atq;

At'q; hac tua oĭpotenti potentia nō ad per dĕdos, ſed ad tutādos es uſur⁹, eos prĕcipue qui offenſæ & ſceleris admiſſi pœnitentes, ad thronū tuæ gratiæ ſe recipiūt, quādoqdĕ de⁹ nt, & pater es. Tuorū ita'q; filiorū uota in hiſterris reptantiū, audi pater benigniſſ me, qui es in cœlis, regū rex, & dominorū dns: ne'q; de tua erga nos beneuolentia, qui nobis es pater, ne'q; de potentia dubitam⁹, quia in cœlis es deus & dns oĭpotens.

Sanctificetur nomen tuum,

PATER NOSTER, *qui es in cœlis creator, moderator, inſtaurator, omniū: Inprimis ex te petimus, quod nos poſtulare cum primis decet: quod niſi conceſſeris, quęcum'q; petimus, in perniciem potius noſtram, quam in ſalutem, peti uidebūtur. Imprimis ita'q; & ante omnia petimus, pater in cœlis benigniſſime, ut nomen tuum, ter ſanctum & glorioſum, quod*

5458

ab æterno fuit, eſt, & in ſempiternum erit, gloriæ in ſeſe, & ſanctitatis perfectißimæ, abſolutißimæ, ſanctificetur inter nos, & à nobis ſacroſanctũ habeatur, celebretur, & colatur. Si nominis tui gloria nobis nõ innotuerit, ſine cuius agnitione, & cultu, nil recte, ſed perperã geruntur oĭa, ſi non celebret, nõ colatur, in ĭjs quę ex tua benignitate accipimus, quid nobis ſunt profutura, non intelligimus: Cum in perniciem potius, quàm in ſalutem, nobis cedent, ſi in tuis donis ſuperbientes, non tuo nomini, ſed nobis gloriam tribuerimus. In tenebris ſumꝰ, & in carcere, quamlibet fœlices uideamur in mundo, ſi nomen tuum glorioſum ignoretur: quęcumq; petimus, quæcũq; habemus, quęcumq; facimus, omnia prepoſtero fiunt ordine, quamlibet iudicio mundi uidẽantur excellentia, niſi ob tui nominis gloriam fiant. Itaq; id imprimus petimis quod

nobis

nobis cum primis eſt, & maxime neceſſariũ, ſine quo beati, & fœlices eſſe non poſſimus: hoc eſt, ut nomen tuum domine inter nos, á nobis, & per nos ſanctificetur. Id quod imprimis optauit, fecitq́; filius tuis unigẽitus, caput noſtrũ, ſeruator, et dominus: qui dum nobiſcũ in histerris ageret, quæcũq́; dixit, quęcumq́; fecit, & quæ eſt perpeſſus, in ijs omnibus tui nominis gloriam quæſiuit: nihil in uotis habens prius, quàm ut ſacroſanctũ nomẽ tuum peruniuerſas orbis nationes inclareſceret, ut omnis creatura tuam tremat potentiam, ſapientiamueneretur, amet bonitatẽ: teq́; agnoſcat, colatq́; unum ſolũ deum, & dominũ. Quin uel naturæ etiam repugnare uideremur, ſi nomẽ tuũ glorificatũ iri non cuperem⁹. Inſitum á natura uidemus hominibus, ut magno affectu germani filij famã & gloriã ſuorũ parentũ lõge, lateq́; promulgatam iri deſi

5458

deſiderent: & quibus plurima debent, illorũ fama ut celebretur, & gloria predicetur, cupiũt maxime. Cum itaq; tua gratuita bonitate, & miſericordia, perditos redemiſti, rebelles & inimicos reconciliaſti, & peccata condonans, quę inter te & nos diſſidij cauſa fuere, per filiũ in filios adoptaſti, nobiſq; adoptione pater, eſſe dignatus es: Cui etiã debemus quicquid habem⁹, parentes amicos, fortunas, robur, ſanitatẽ, cui debemus id quod ſumus, hanc ipſã quã habemus uitam, & oĩa: Cumq; tuus erga nos paternus affectus, beneuolẽtia, & amor, tantus ſit, ut ad eam, qua nos proſequeris, dilectionẽ, omnis amor, quãlibet paternus, uel maternus, uelut odium eſt, quãdoquidẽ imperfectus eſt, temporarius, dubius, uerſatilis, momẽtaneus: tuus autẽ ad inimicos etiã & rebelles ſe porrigit, conſũmat⁹, perfectus, cõſtans, & ſẽpiternus. Naturæ

itaq;

itaq; repugnaremus ſi tuũ nomẽ non glorifi cem⁹. Naturæquidẽ non ſolũ repugnare, ſed ad omnẽ naturæ ſenſum obſurdeſcere uideretur, qui tui nominis glorificandi, nõ fuerit ſtudioſus: qui ut ab oĩbus ſanctificetur in uotis primũ non haberet. Quocũq; uertimus oculos, ſiue in cœlũ ſuſtulerimus, uel quæ ſuper terrã ſunt, aut in aquis contemplemur, oĩa tui nominis gloriam celebrant. Creaturæ omnes naturã quam tu creaſti bonam, ducem ſequentes, tuæ dum obſequuntur uoluntati, ſuo more confiteri & predicare uidẽtur, te unũ, et ſolũ eſſe uerũ, et æternũ deũ, iuſtiſſimum, ſapiẽtiſſimũ, benigniſſimũ, oĩpotentem, optimũ, maximũ. Nos itaq; quos rerũ iſtarũ omniũ dominos feciſti, ad tuã imaginẽ condidiſti, rebelles recepiſti in gratiam, a ſeruitute in libertatẽ, & ius filiorũ aſciuiſti, decet ut ante oĩa nomẽ tuũ glorioſũ ſanctificatũ iri poſtulemus, &

5458

& cupiamus. Petimus itaq; ex intimis cordium nostrorũ penetralibus, ut nomẽ tuum sanctificetur, ut uirtus, potentia, gloria, maiestas, sapientia, ueritas, iusticia, bonitas, amor, & misericordia tua, ut ipse unus & solus deus, & dominus, ab omnibus agnoscaris, ut mundus uniuersus, te solũ deũ, & dominũ reuereatur, tibi fidat, te colat, amet, uenereretur, adoret, agnoscantq; oẽs homines, omnia nomina quæcũq; nominãtur, nisi á tuo nomine lumẽ, gloriã, & sanctitatẽ acceperint, obscura, sordida, & prophana esse. Sanctificetur, & separetur nomẽ tuũ ab omnibus nominibus, ut omnis honor, & gloria tuo cedat nomini glorioso. Tui nominis gloria extinguat in nobis omnẽ humanã gloriam, quoniã gloria, quæ extra te est, ignominia est. Non hic petim⁹ ut sanctitas aliqua tui nominis gloriæ accedat, qua sanctior fiat, quasi uel nostra ce-

lebra-

lebratione, uel ulli⁹ creaturæ indigeat ope, quò reddatur augustior: a quo sanctificari potest, quod sanctificat omnia? nomẽ tuũ domine ab æterno, & in sempiternũ absolutißimę & perfectißimæ gloriæ, & sanctitatis, manet, nec initium habens, nec finem habiturũ: ita nec crescere in sanctitate potest, nec decrescere: nec potest accedere quod illi⁹ gloriã augeat, nec quod imminuat sanctitatem. Ex te itaq; cœlestis pater pro tua bonitate postulamus, ut nomen tuũ quod in sese absolutißimæ, & perfectissimæ sanctitatis est, in nobis quoq; & per nos sanctificetur, fide & reuerẽtia cordis, confessione oris, & bonorũ operum exhibitione: ut nomẽ tuũ uniuerso mundo inclarescat: ut omnes te unum, solũ deũ, & dominum, agnoscant, uenerentur, adorent. Ah domine deus pater cœlestis nomẽ tuum glorioſum ab omnibus fere in his terris mi

sere

5458

ſere prophanatur, contemnitur, dehoneſtatur, contumelijs afficitur: gentes te contempto, relicto, neglecto, ad muta ſe conferũt ſimulachra, petentes, ſperãtes, & expectãtes, quæ ex te poſtulare, ſperare, & expectare debent, gloriã quæ tibi debetur adſcribentes idolis, & ſeruientes creaturæ, potius quám tibi creatori, qui es benedict⁹ in ſecula. Iudeis uero filius tuus, quem in mundũ miſiſti ſeruatorẽ, ſcandalũ eſt, ſicut & gentibus ſtulticia. Qui filiũ negat, nec te patrem habet. Qui filio non credit, mendacem te facit, quãdoquidem non credit in teſtimoniũ quod teſtificatus es de filio tuo. Petimus itaq; ut & ipſi te agnoſcãt, deũ, & patrem, filiumq; tuũ, quẽ miſiſti, mũdi ſeruatorem. Ac ne permittas, ut iudei, turcæ, aut gentes aliæ, quæ te non nouerunt, aut quæ tuæ gloriæ inuident, (quæ in ſuis impietatib⁹ gloriãtes, nobis ĩſultare ſolent, tibi fiden-

1.Io. 2.

1.Io. 5.

fidentibus) dicant, ubi eſt deus eorum, ubi redemptor, ubi ſeruator? Has tui nominis glorie aduerſantium compeſce blaſphemias: uel conuerte illos, ut nobiſcum celebrent nomẽ tuum, uel auerte furorẽ illorũ a puſillo grege tuo ne eum labefactent.
Atq; utinam nos, qui tibi, filioq; tuo, nomina dedimus, qui peculium, hereditas, & filij tui nominamur, apud hos qui te contemnunt, non ſimus dehoneſtamẽto tui nominis glorie: imo nos qui celebri profeßione facta, fidem tibi obſtrinximus, qui a chriſto filio uocamur chriſtiani, tam fœde, miſereq; nomen prophanamus tuum, & blaſphemamus, ut ne iudei, turcæ, aut ullæ gentes, quamlibet impiæ, maiori nomen tuũ opprobrio afficere uideantur. Imo ſi noſtra impietas, qui de te, filioq; tuo gloriamur, cum illorum impietate, qui

te

te ignorant, conferatur, omnes illorũ iniusticias, opprobria, & contumelias, uidebimur iustificare. Icti fœderis inter te, & nos, ne unum quidẽ caput obseruamus, nulla fides, nulla spes, nulla tui reuerẽtia, nullus amor. Nobis & humano brachio, magis confidimus, plura hinc expectamus, & amorem, & reuerentiã maiorem exhibemꝰ, quám tibi: quis non magis fluxis huiꝰ mũdi diuiciis fidit, quám tibi? quis non exiis, q̃ extua sibi prouidentia, & liberalitate, plura pollicetur? quis non eas magis amat, q̃ te: quis non magis timet eum, qui illas possit auferre, quàm te, qui potes & corpus, & animam, conĩcere in gehennam? Omnẽ itaq; honorem, qui tibi debetur, mammonæ impendimus christiani. Quin & iustificationis nostræ gloriam, pro qua uendicanda tibi, filiũ misisti in mũdum, eumq; uoluisti probrosissimam crucis mortem subire, quò

Ezec. 16.

pro

pro nobis iuſtificandis, iuſto rigori, iuſti tui iudicij ſatiſſieret, ut in hoc opere tua miſericodia omnibus innoteſceret: quod opus, ut eſt ſupra omnia alia tua opera, ita huius operis gloriam alteri dari nō patieris: eam tamē nōnulli ſibi, ſuiſq; uiribus, imo plerūq; etiam impietatibus ſuis, quas pro iuſticijs uenditari cupiunt, labentis adami ueſtigia inſequentes, adſcribunt. Alij alijs neſcio quibus rebus, & creaturis eam tribuunt: & ſi quādo tibi tribuitur, labiis tantū ab illis tribuitur, cor autē (ut utte redēptorē, & iuſtificatorē uocent) lōge eſt à te: ſubtui nominis prætextū, lingua mentientes, omnē iuſticiam, aliunde petunt, atq; alio eam tranſferunt, quàm ex te, & in te. Non cum dauide dicunt, lingua, ſimul & animo, nō nobis dñe, non nobis, ſed nomini tuo da gloriā. Quomodo tuū nomē celebramus, & glorificamus, teſtantur blaſphemæ uoces noſtre

tre, quibus glorioſa paſsio, crux, & mors filij tui, miſere prophanatur, cùm, tercio quoq; uerbo, ab omnibus fere iuretur, per corpus, per cor, per mortem, uulnera, & ſanguinẽ CHRISTI: perinde ac ſi non ob aliud filiũ incarnari, & in humana, quã ſuſcepit ex uirgine natura pati, & mori, & ſanguinẽ innoxium, fundere uolueris, quàm ut nobis ſit ludibrij, & loco ſcommatis: tam uili tuam exhibitam in filio miſericordiam, eiuſq; mortem, & ſanguinem, redemptionis noſtræ precium, eſtimamus. His tuum nomen afficiunt contumeliis, non ſolum indocti & idiotæ, ſed & hi quoq;, quos populo tuo pręeſſe uoluiſti: quibus conuicijs occaſionem damus, ut male audiat tuum nomẽ, apud eos qui te ignorant, quiq; nominis tui gloriæ aduerſantur. Quotuſquiſq; eſt, qui tibi ſanctificat ſabbatum? imo contentionibus, diſsidijs rixis, litibus, auariciæ,

queſ-

quęſtui, aleis, & chartis, commeſſationi-
bus, & ebrietatibus, baccho, & ueneri,
diabolo ſanctificant, non tibi. Nullus nũc
habetur honos parentibus, nulla obedien-
tia magiſtratibus, nulla paſtoribus reue-
rentia. Atq; hi eandem uiciſſim habent cu-
ram ſuorum liberorum, ſubditorum, & gre
gis: minoris eos facientes, ac inhumanius
tractantes, quàm bruta animalia. DE cha
ritate, pudicitia, de benignitate, & ueri-
tate, quibus obſeruandis fidem tibi noſtram
obſtrinximus in lauachro regenerationis,
quid dicã? charitas refrixit, iniquitas ſu-
perabundat, non eſt ueritas, non eſt fides,
non eſt ſcientia dei in terris. Maledictum,
iniuria, blaſphemia, contumelia, lites, con-
tentiones, inimicitiæ, homicidia, ſtupra,
fornicationes, adulteria, ſcurrilitas, turpi-
loquia, atq; omnis immundicia, furtum, ra-
pina, auaritia, dolus, et fraus, mẽdacia falſa
teſtimonia,

5458

adulationes, ſuſurrationes, ſuſpiciones malæ, & detractationes, omne genus ſcelerũ, & malorũ, inundat ſuper terrã, adeo ut ne ueſtigium quidẽ appareat fidei & ueritatis, inter chriſtiani nominis profeſſores. Omnis enim uita & conuerſatio noſtra (ut ut te deũ, & dominũ noſtrũ falſo appellemus) aperto marte bellum tibi indicit: qui cũ debeamus nomẽ tuũ ſanctificare, preter cæteros maxime dehoneſtamus, occaſionẽ dantes, ut ab uniuerſis terræ nationibus, dehoneſtetur, & prophanetur. Cum uident tui nominis profeſſores, tã impie uiuẽtes, quis dubitat, quin dicant, ualeat ille deus, qui tales habet cultores: ualeat ille dominus, qui tales habet ſeruos: pater ille, qui tales habet filios, & rex ille qui talem habet populum. Oramus itaq; pater in cœlis benenigniſſime, ut nomẽ tuum ſanctificetur. Illumina mẽtes omniũ tua gratia, pro tua diuina

poten-

potentia,& bonitate: fac ut gentes, relicto cultu idolorum, & iudei impia ſua ſuperſtitione neglecta, vnum te deum, patrem cum filio, & ſpiritu ſancto, in quo, per quem,& ex quo ſunt omnia, agnoſcant,agnitum ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, colant, & adorent. Oramus pater, ut in nobis chriſtianis,& per nos corde,lingua, & opere, ſanctificetur nomẽ tuũ: Vt quẽadmodũ glorificatus es in filio perfectiſſime,qui eſt caput noſtrum, ita & pro modulo infirmitatis noſtre,glorificeris in nobis mẽbris eius. Dirige greſſus noſtros in ſalutis viam, ne propter noſtram malam conuerſationem, glorioſum tuũ nomẽ male audiat inter gentes, quæ te ignorant. Tu qui es lux uera illuminans oĩa, faciens de tenebris lumen ſplendeſcere, fulgore lucis tuæ, noſtrarum mẽtium pelle tenebras,corda noſtra ſerena,& illumina,ut quæcũq; ucl co-

5458

gitamus, aut loquimur, aut operamur, tui nominis gloriæ,& dignitati reſpondeant: Fac ut luceat ſic lux noſtra coram hominibus,ut ſanctam,& irreprehenſibilẽ conuerſationẽ noſtram uidentes impij,& infideles, exemplo noſtro permoti incitentur, & quodammodo cogantur,in fidei integritate, & morũ ſynceritate, nobiſcum te patrem noſtrum glorificare, qui in cœlis es. Faceſſat oĩs impietas, ſuperſtitio, hypocriſis, infidelitas, artes magicæ, hęreſes, doctrinæ impiæ, & quæ veritati aduerſantur,& quibus gloria tui nominis apud homines imminuitur. Mitte operarios in meſſem tuã,quoniã hęc multa eſt,& illi pauci ſunt,qui verbũ tuum nobis,ſyncere'uereq;, annũcient: fac uerbũ tuum ſic currat,& fructificet ut abolitis tandem oĩbus,quæ tui nominis gloriæ aduerſantur,te patrem, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM,cum ſancto ſpiritu,vnum ſolum deum,& dominũ, mũdus ag

noſcat, prędicet, veneretur, adoret: ut oĩs laus, honor, & gloria, tuo cedat nomini glorioſo. Amen.

Adueniat regnum tuum,

FIERI NON poteſt cœleſtis pater, ut nomen tuũ mũdo inclareſcat, ipſũq; homines quo debent honore proſequantur, quámdiù ſatan hoſtis ille malignus, tenebrarum princeps, mundum ſibi ſubiectũ tenet, qui nũc agit in filios immorigeros, quos de immũdicia in immũdiciã, de impietate, in impietatẽ, tanq; laqueo captiua tenẽs mãcipia, deducit pro arbitrio, tui nominis gloriæ ſemper aduerſarius. Te authorem lucis predicare, tuũq; nomen quomodo ſanctificare poßumus, qui principi tenebrarum, morem gerẽtes, impĩßimis ipſius iußibus, et volun-

uolun

5458

tati obtemperamus? Quomodo optare poſſumus, ut tua gloria celebretur, qui diligimus tantum mũdum, & ea quæ ſunt in mũdo, quæ ſunt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & faſtus uitæ, quæ tui nominis gloriæ ex diametro repugnant? Quomodo tuam gloriam quęremus, qui gloriã abinuicem quęrimus, & expectamus? qui tantum quærimus quæ noſtra ſunt, non quæ aliorum, non quæ tua ſunt domine, niſi quatenus proximos bonis a te acceptis ſpoliemus, & gloriam tibi debitam vſurpem⁹ nobis. Oẽs declinauimus: non eſt fides, non eſt ſcientia, non eſt ueritas in terris, mũdus totus in malo poſitus eſt: niſi auxilieris & medearis, regemq; & dominũ, agas inter nos, fruſtra petimus nomẽ tuũ manifeſtatum, & ſanctificatũ iri. Tu itaq; pater in cœlis benigniſſime, conditor, inſtaurator, & rector omniũ, quæq; in cœlis ſũt, quæq;

in

in terris, a quo manat omnis poteſtas, autoritas, regnum, & imperium: Cui cœlũ thronus eſt, cui terra ſcabellũ pedum, cui ſceptrum, æterna, & immobilis voluntas, cuius regnũ, regnum omniũ ſeculorũ, cuius potẽtiæ nulla poteſt reſiſtere potentia: debella, expugna, pelle ſatanam, qui in mũdo tyrannum agit: exime quos catenis captiuos tenet, per hęreſes, malas artes, et carnis cupiditates, ipſi inſeruientes, & obſeqnentes. Tu regni inter nos ſuſcipe gubernacula, tu nobis pro domino ſis, & rege: ut victis, proſtratis, & eiectis aduerſariis, qui nominis tui gloriam conantur obtenebrare, & extinguere: quiq; nos ab ea celebranda, a tuo cultu, & obedientia, auocare, impedire ſtudent, & remorari: Tu regnes ſuper nos rex, & dominus: ſubiectos habeto nos tibi, regens, gubernans, & defendens pro tua bona voluntate. Si regni gubernacula ſuſceperis

5458

peris, nobiſq; rex fueris, et dominus, nomẽ tuum, & agnoſcetur, & ab omnibus qua decet reuerẽtia, ſanctificabitur. Oramꝰ itaq; cœleſtis pater, ut regnum tuum adueniat, ut debellato ſatana, mundi nunc ſæuientis, nunc blandientis, detectis, & caſſatis dolis, carnis item deſideriꝭ, & inſultibus, repreſſis, tu ſolus regnes rex, & dominus, in omni obedientia nos tibi ſubiectos tenens. Non hic petimus quatenus in ditionem tuam nunc veniat mundus, quaſi prius in illũ non haberes poteſtatem, aut quaſi ſub poteſtate conſtitutus olim, & amiſſo in illũ imperio, nunc iterum ſub poteſtatem redigas, qui dominus es, & non mutaris, ab æterno, & in ſempiternum regnans, regum rex, & dominus dominantium, imperio ſubiecta tenens vniuerſa: cuius regni tui ut initium non fuit, ita nec eſt illius futurus finis: quoniã tibi curuatur omne genu, cœleſtiũ, terreſtriũ, et infernorũ, nec eſt quod

potestati tuæ possit resistere, idem ab æterno, & in sempiternũ manens, qui es, dñs omnipotẽs: Verũ te oramus potius, ne nos gratiæ, & beneficijs tuis ingratos, iusto iudicio, a facie tua reiectos, pro derelictis, & repudiatis habeas: in quibus satan secundũ desideria carnis, & mũdi, suã exerceat tyrannidem, & libidinem expleat. Atq; ut oculo misericordiæ nos respiciens, a tyrannide, & seruitute illius mali, nos liberare, exemptos seruitute, & liberatos, in regnũ tuũ digneris asciscere: ut nos tuo subiectos imperio, teneas, rex, & protector noster, regens & gubernans nos in oĩ erga te obediẽtia, et iusticia, sanctitate, et ueritate: ne uel mũd⁹ suis blãdicijs, et illecebris, decipiat uel caro nos vincat noxijs cupiditatib⁹, uel diabol⁹ suis nos dolis, et pnicioſis artib⁹ ĩcãtet, imponat, illudat, et in seruitutẽ sibi redigat. Quin tu illius confringe vires, & caput imminue, ne quid

5458

ualeat posthac in nos, quãdoquidẽ potest nihil, nisi quod tu ob peccata in te nostra, iusto iudicio ꝑmiseris. Ille circuit noctes & dies tanquám leo rugiens, quærens quẽ deuoret: At te rege, te protectore, non est quod metuamus a facie illius mali. Habet item ille malus, suos satellites, nominis tui aduersarios, callidissimos, potentissimos, & iniquitatis suæ mẽbra, quæ in perniciem populi tui excitat, innumera, huius mũdi sapientes, & dominos, qui pusillum, & imbellẽ regni tui gregem affligunt, diuexãt, persequũtur, proscribunt, damnant. Inuadunt gentes hæreditatem tuam, obiiciunt cadauera electorum tuorũ auibus deuoranda, & tanquã aquam illorum fundunt sanguinẽ. Siluestres apri, & feræ bestiæ, uastantes uineam tuã, eam depascunt: facta est in rapinam, & deuorationẽ, omnibus agri bestiis. Pusillus ille tuus grex, partim impijs fana-

Psal. 78.

Psal. 79.

Esa. 56.

Ezech 34.

fanaticorum hominũ hęreſibus, partim potentiũ in hoc mũdo tyrãnide, ſic cõcutitur, & diuexatur, ut niſi tua ſuccurras dextera, & opem tuleris, actũ de nobis eſt. Puſillus iſte grex qui ſupereſt, peribit funditus. Tu itaq; regni ſuſcipe gubernacula, pater in cœlis habitans, & pro nobis dimica in medio inimicorũ noſtrorũ, qui eccleſiã tuã conantur labefactare, & extinguere. Aut iſtorum miſerere quos ſatan agit, & inſtigat ad perdendum tuũ gregem, & tua gratia illorum mentes illumina, & corda immutato, ſecundum efficatiã virtutis tuæ, qua potes tibi omnia ſubiicere, ut nobiſcum te patrem, in filio, & cum filio, et ſpiritu ſancto, vnum deum et dominũ, agnoſcãt, adorent: aut illorũ rabiem, tyrannidem, & furorem, quos infracto et obſtinato animo, in malicia noſti perſeueraturos, à nobis auerte: vim & conatus eorum redde fruſtrane

os

5458

os, ne quid nocere valeant ecclesiæ tuæ mẽbris. Et quia nobis incertũ est, quos ad te sis conuersurus, precamur dñe, ut nobis, et non nobis solum, qui in tuorũ fideliũ numerum per fidem censemur, sed & oĩbus hominibus vbiuis terrarũ, & gentium degunt, regnum tuũ adueniat, & innotescat: ut oẽs vno ore, atq; animo, nomẽ tuũ, & gloriam, prædicantes celebremus. Nos equidẽ ut omnibus regnum tuũ adneniat, & innotescat, decet postulare, quandoquidem gratuita illos benigne respicis, misereris, tueris, & seruas, misericordia, quibus dignaris esse dominus, et rex: nulliq; viuificã gratiã tuã inuides, nisi qui illã à sesponte excluserint, inuidentes sibi. Adueniat itaq; regnũ gratiæ tuæ cœlestis pater, & omnibus inclarescat. Tua gratia mentes omniũ illumina, deterſis, & profligatis, erroris, et ignorantiæ nebulis, animos serena, & purifi-

rifica: errantes dirige per fidem, ſpem, reuerentiam, & charitatem, in viam veritatis: tuæq; charitatis, & amoris accende flammis, quatenus te agnoſcamus deum patrem, & quẽ miſiſti IESVM CHRISTVM cum ſancto ſpiritu, in perſonarũ TRINITATE, vnum deum & dominũ: teq; agnoſcentes ex puro corde, conſcientia bona, & fide non ficta, in ſpiritu, & veritate, ueneranteſ prędicem⁹, prædicãtes adoremus. Regnum tuum domine, quod cepit filius tibi uendicare, in dies magis ac magis ſeſe proferat, ac in his terris latius propagetur: ut cõſũmata gentiũ plenitudine, totus iſrael, (id eſt fideles omnes quos elegiſti, et pro tuis nouiſti, quorũ nomina ſcripta ſunt in libro uitæ, in fidei integritate, & morũ ſyn ceritate te colentiũ) ſaluus euadat. Propagetur inquàm hoc regnũ tuũ in dies magis ac magis, donec plenũ, et integrũ illud tibi tradat, idem

5458

filius tuus, subiectis omnibus, in obedientia sine controuersia, et perpetua charitate, sine contradictione, quos æterna tua voluntas, huic regno destinarat. Adueniat regnũ gloriæ tuæ, quod electis tuis ab origine mundi parasti, in quo extinctis carnis huius concupiscencijs, perempta inter carnẽ & spiritum inimicitia, & lucta: illecebris & mũdi blandimentis calcatis: Diaboli insidijs dolis, vi, & potestate deuicta, & prostrata, sine ulla inquietudine, & molestia, lętitia tecum fruamur, & gloria finem non habitura. Glorioſus ille tui filij aduentus ad iudicandum dies, adueniat, quæsumus cœleſtis pater, in quo corpus hoc nostrũ humile, mortale, & corruptibile, ad gloriam, et
Phi. 3. immortalitatẽ transferendũ est: et reddendũ conforme glorioso corpori filij tui. Hunc diem ipsa creatura (inquit apostolus tuus) solicite expectat, quo palam fiant filij dei:

quan-

quando & ipſa liberabitur a corruptione ad incorruptionem, a mobilitate ad requiẽ, ab interitu ad immortalitatẽ, (irrequietus iſte motus, generationes, interitus, & rerum uiciſſitudines ceſſabunt) a uanitate item & ſeruitute, cui nunc tanquã inuitæ, et reluctantes, quodã modo ſubĳciuntur, ad libertatẽ: ab ignobilitate ad gloriam, & ſplendorem reſtituentur, optare libertatẽ, illam ſuam redemptionem, et gloriam ſuper indui, dicũtur. Quanto magis nos, qui primitias ſpiritus habemus, diem illum expectamus, et aduentare petimus, ſicut et petere, et expectare debemus, ſi filii ſumus. Vt tremendus, et formidandus eſt ille dies, atq; omni terrore terribilior, ĳs, qui pereunt, qui tibi non fidunt, ita optatiſſimꝰ, glorioſus, & iucunditate plenus eſt ĳs, qui ſalui fiunt, qui tuæ fidentes promiſſioni te deum et patrem habent. Eo enim die expecta

tioni

5458

& ſpei noſtræ ſatiſſactū erit: corpus enim hoc noſtrū humile reddetur ſimile corpori filij tui glorioſo: fietq; omniū electorum ab origine mūdi, ſecundum integrū hominem, plena, perfectaq; conſūmatio. Hunc magnū aduentus filij tui diem, hoc regnū gloriæ in dies expectamus, quando quidem quæ prędixit filius ſigna diē aduentus ſui pręceſſura, pro maiori parte iam pręterierunt. Nuſquā acrius inter vllas gētes quàmlibet barbaras & feras, quàm inter nos chriſtianos, pugnatur: bella nunq̄ magis cruenta, ſanguinaria, crudeliora. Nunquam magis abundauit iniquitas, mágiſq; refrixit charitas: peſtilentiæ nūquàm ſęuiores, magis ſeditioſæ ſectæ, hęreſes nūquam perniciōſiores: & quæ a principio naſcentis eccleſiæ in noſtram ætatem increbreſcentes, exulabant, et multis ſeculis ſepultæ iacuerunt, nunc reuiuiſcunt, & nouæ in dies ex

Phi. 3.

Hebr. 11.

Mat. 24.

Luc. 21.

citantur: ſchiſmata in eccleſia tua nunq̃ plura, & magis periculoſa: nunq̃ perſecutiones tuorũ electorum, tuũ nomen profitentium, crudeliores. Vt æſtatis appropinquãtis, ficulnearum, & arborum gemme, botri, & fructus matureſcentes, ſunt indicia: ita & iſta, illius magni diei, pijs optatiſſimi, tremendi impiis, indubitata ſigna, & prenuncia, prędixit filius. Si tum venturus eſt filius ad iudiciũ, vbi prædicatum fuerit euangeliũ in vniuerſo mundo, & poſt illius predicationẽ, homines ab euangelio recepto, & fide ſunt defecturi: cũ venerit filius hominis (inquit ipſe ſeruator) num fidẽ inueniet in terris? Si tum venturus eſt, cum fuerint dies ſicut in diebus Noe, cũ fuerint homines ſecuri, edentes & bibentes, nubentes, & nuptijs tradentes, & terra a malitia inhabitantium in ea, fuerit corrupta: ut magnus ille redemptionis dies adueniat,

Mat. 24. Luc. 21.

iam

5458

iam tempus eſt domine, quia prędicatum eſt Euangelium in mundo vniuerſo, ſicuti futurum prędixiſti, in teſtimonium omnibus gentibus, & in earum redargutionem, quòd venien.e filio ad iudicium, digni habe bi:ntur morte, quòd prędicato euangelio credere noluerant. Et quia poſt euangeliū iam prædicatum, mundus fere totus, a fide, & euangelio defecit: Aſia in qua primum eſt prædicatum tuum regnum, & item africa, & magna europæ pars, a te defecerunt: & pro te filioq; tuo, et ſpiritu ſancto, ſub impiſſimo turca, & ethnicis principibus, miſerrimam ſeruientes ſeruitutem, alij mahometem, alij idola colunt. Et ab hoc puſillo grege, qui in hac europæ parte, quam habitamus, relictus eſt, nomen tuum glorioſum magis dehoneſtatur, peiuſq; audit, quàm inter ullas uſquam gentes quàmlibet impias, & prophanas, audierit: fatemur noſſe te

deum

deũ, prõq; deo nostro te habere, factis plane negamus. Non est fides, non est veritas, nulla tui vel cognitio, uel reuerentia, in terris. Nam & nos qui residui sumus relicti nomine tenus christiani, gentium quarumcũq; impietatem, quæ te non norunt, non æquamus modo, sed & superamus. Non fuit tam corrupta terra in diebus Noe ab hominũ malitia, quám nunc est: ideo petimus, ut magnificentiam gloriæ tuæ ostendas iudex in nubibus cœli veniens, ut tandẽ ille dies, & gloriæ regnum, quod expectamus, adueniat. Atq; interim, dum aduentum illum differs, adueniat regnũ gratiæ tuæ: debellatis, & expulsis hostibus, & aduersarijs, tu inter nos suscipe regni gubernacula: aduersus carnis insultus, ad mala semper suadentis, mundi item blandientis illecebras, & terricula sæuientis: contra insidias, furorẽ, & vim satanæ, ipsi⁹ dolos, et technas,

5458

nos tuere,et defende: illius mali frange vires,et copias funde:tu nobis rex ſis,et dñs. Regnum hic gratiæ tuæ in nobis inchoato, illudq; perfice, in dies magis ac magis, donec hereditatem in regno gloriæ,quod expectamus,tua benignitate conſequamur. Magna petimus,ſed a magno, & per magnũ, á te deo patre oĩpotente, optimo,maximo, per, & propter Chriſtũ filium, ſũmum regem, & ſacerdotem noſtrũ, ſicuti ab ipſo iußi ſumus,& edocti,in cuius nomine petentes, te promittis exauditurũ. In illius itaq; nomine noſtrorũ cordiũ genua flectentes,oramꝰ,pa'er noſter qui es in cœlis, Sanctificetur nomẽ tuũ. Adueniat regnũ tuũ.

Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.

FIAT VOLVNTAS. *fo. xxvi.*

PATER NOSTER *qui es in cœlis, dominus, & rex omnipotens, consolationis, & misericordiæ deus, atq; ipsa charitas: quandoquidẽ sanctissimũ, & integerrimũ regẽ, inculpatos decet habere subditos, & irreprehensibiles, suppliciter per tuũ nomẽ adorandũ obsecramus, ut pulsis, & imperio deturbatis aduersarijs, mundo, carne, & satana, qui regnũ hactenus inter nos occuparunt, tu regem inter nos agas, & dominũ: nosq; tua gratia, & beneficio, te rege dignos ciues efficere digneris. Vt quemadmodũ hactenus illecebris mundi, & voluptatibus addicti, carnis desiderijs, & cupiditatibus, inseruiuimus, ad aliam, & aliã iniquitatem, secundũ imperiũ spiritus mendacij, & erroris, qui captiuos iugo tenebat: Ita nunc tuo subiecti imperio, ultro, et ex animo, tua iussa*

5458

capeſſentes, ea tantum uelimus, cupiamus, ijs ſolis delectemur, lingua, et opere exequamur, quæ te rege noſtro, digna, tuæq; ſanctiſſimæ voluntati grata fuerint, & placentia. Fiat voluntas tua. Non hic oramus pater, ut tua ab æterno & in ſempiternũ omnipotens uoluntas, noſtra precatione fœlicem ſortiatur effectũ, quaſi noſtra ope, aut alienis indigeat adminiculis, in ijs quæ tu cupis, exequendis: Id de tua cogitare maieſtate, quę eſt omnipotens, eſſet plane impium. Quæcũq; enim voluiſti, feciſti, faciſq; in cœlo, & in terra. Quod tu decreueris, quis poteſt infirmare? Cum tu manũ extenderis, quis auertet eam? Conſiliũ tuũ ſtabit & omnis volũtas tua fiet. Quoniã apud te, non eſt impoſſibile omne verbum. Quis enim obſtare poteſt, quo minus facies quod uelis? Quin id te potius oramus domine, ut tua gratia, facere & uelimus, & poſſi-

Pſal. 113.
Eſa. 14.
Eſa. 64.
Luc. 1.

mus

mus, quæ tuæ grata ſunt voluntati & maieſtati: Vt voluntati noſtræ, quæ peruerſa eſt, & ad malum propenſa ab ipſa adoleſcẽtia, ac vniuerſis noſtræ carnis affectibus renunciantes, nos tuo arbitrio, & voluntati, vſquequaq; optimæ, vſquequaq; ſanctiſſimę, regendos committamus. Tua voluntas eſt, ut credentes in eum quem miſiſti in mundũ, propiciatorem pro peccatis noſtris, IESVM Chriſtum, te cum eodem filio, & ſpiritu ſancto, ut dominũ reuereamur, et ex te vno deo pendeamus, ac promiſſioni fidentes, amemus ex toto corde, ante omnia, & ſupra omnia, ut patrem: & ut diligam° inuicem propter te, ſicut dilexiſti nos, tradẽs pro inimicis tibi reconciliandis, filiũ vnigenitum ad mortem crucis. Hec eſt voluntas tua, ut corde, lingua, & opere, in omni vita, & conuerſatione noſtra, ſancti ſimus, ſicut & tu ſanctus es. At voluntas noſtra prana,

Io. 6.

1. Io. 2.

1 Pet. 1.

Leu. 11.

5458

praua & peruersa, huic tuæ sanctissimæ uo luntati repugnat. Propter illã mẽtis nostræ caliginem, et cœcitatẽ, cũ qua nascimur, iustitiam, & misericordiam tuam ignoramus, de promissis dubitamus, spem, fidem & amorem, quæ in te collocata esse oportebat, in vires nostras, in humana brachia, in huius mũdi fluxas, & res breui interituras, reponimus: neglectis item proximis, tantum quæ nostra sunt quærimus. Itaq; rogamus pater in cœlis habitans, in cuius manu, & regum, & priuatorũ sunt corda, ut sublato corde nostro lapideo, cor carneum, molle, & tractabile ponas in medio nostri: Cumq; ex nostra virtute, sine tua ope, nihil præstare possumꝰ, imo ne cogitare quidem ex nobis, quod bonũ est, tanq; ex nobis, ut pro tua ineffabili potẽtia, et uirtute, qua potes tibi oĩa subĩcere, pròq; tua paterna benenolẽtia, et inexhausta benignitate, opera

ri

ri digneris in nobis, et uelle, et pficere: ex praua volũtate nostra, bonã faciens, et ea exequẽdi donans facultatẽ cũ pseuerantia, quæ tuæ sanctißimæ volũtati grata sũt, & accepta. Nã uelle nobis quãdoq; adest bonũ, at ut bonũ faciamus, in nobis nõ reperimꝰ: Non enim quod volumus bonũ, facimus, sed quod nõ volumus, malũ, hoc agimus. Delectat nos aliquãdo lex tua, secũdũ internũ hominẽ: At sentimꝰ aliã legẽ ĩ mẽbris nostris, repugnantẽ legi mẽtis, et captiuos nos reddẽtem, legi peccati, quæ est in mẽbris nr̃is. Caro enim cõcupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnẽ, atq; inter se mutuo sic aduersãtur, ut non quæcũq; volumus, illa faciamus. Tua itaq; gratia in acerrimo hoc duello succurre dñe, ut cõcupiscentia carnis, aduersus spiritũ reluctans, & si non prorsus fuerit extincta,

Ro. 7.

Ro. 7.

Gal. 5.

(non

5458

(non ceſſabit enim inter ſpiritũ & carnem colluctatio, donec corporis, & animæ, fuerit diſſolutio) minus tamen & minus, ſpiritui aduerſetur, atq; ea victa, magis magiſq;, in dies victor euadat ſpiritus, ac tuo ſpiritui reddat vnanimis: ut ea cupiamus, ea velim⁹, lingua, et opere, exequamur, quæ tua exigit uoluntas, non quæ noſtra concupiſcit. Tuũ nobis largire ſpiritũ cœleſtis pater, eumq; innoua in viſceribus noſtris, quò credam⁹ quod a nobis credi vis, quòq; faciam⁹, quod a nobis fieri poſtulas, quò & ſufferamus cũ gratiarum actione, quæ tua nobis immittit prouidentia, vtut moleſta carni videãtur, et aduerſaria. Da in aduerſis intelligentiam, & ſcientiam, qua intelligamus, non temere ea nobis, aut fortuito, ſed tua prouidẽtia, et bona voluntate, euenire: vel propter iniquitatem noſtrã corripiendam: uel propter iuſticiã conſeruandã, et nos in officio retinen

Eſa. 45. Thre. 3 Hebr. 12.

dos

dos: aut propter fidem exercendam, uel ut conformes reddamur imagini filij tui vnigeniti, ut ſimul cum illo conglorificemur, quoniã electis omnia in bonũ cedũt. Da ité & pacientiam, ut ſiue proſpera immittis, ſiue aduerſa, quámlibet carni inimica videã tur, et nociua, tu nos confirma, ne vnquám repugnemus tuæ ſanctiſſimæ voluntati, tametſi decreueris mũdum rurſus perdere diluuio, uel igne ſulphureo, tanquam Sodomã, & Gomorrham extinguere, aut ſi viſũ fuerit, ut fractus illabatur orbis, & in nihilũ redigatur: fac ne reluctemur, aut murmuremus, ſed æquo toleremus animo, gratias agentes tuæ bonitati, ſcientes, te nihil poſſe velle, niſi quod eſt optimum, & hoc ipſo optimũ eſſe, quód tibi placitum. Hoc enim pro certo habemus, quód etiam cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis, & in te ſperantes, tua circumdabis miſericordia,

neq;

5458

neq; ſanctos, & electos tuos, deſerturus es, ſed æternum conſeruaturus. Tua voluntas fiat, et ut fiat, ut nos uelimus, facito: qui corda ſcutaris omniũ, eaq; in tua habens manu, dirigis, & inclinas, quo voles: & voluntatẽ faciendi, quæ tibi placita ſunt, & facultatem, impertire, pro tua inexhauſta miſericordia, ut tua inter nos voluntas fiat.

Sicut in cœlo & in terra.

SICVT ANGELI, & ſpiritus cœleſtes, tuæ diuinæ voluntati, ſine controuerſia obediunt, et inſeruiunt: ita tua virtute, pulſis, & deturbatis, ex hoc mundo aduerſariis, qui partim dolo, fraude, technis, iſidiis, nos ſuadere, hortari, deducere, partim terriculis, ſuppliciorum metu, & tyrannide, nituntur a te ad defectionem cogere: quiq;

omnem mouere lapidem non ceſſant, quò tibi indicto bello, tuæ voluntati, obſiſtamus, ac repugnemus: tu ſuſcepto regni inter nos ſceptro, & gubernaculo, regem agas, & dominũ noſq; te rege, dignos ciues, et ſeruos digneris efficere: Vt mortificatis in dies, magis, ac magis carnis noſtræ concupiſcẽtijs, & deſideriis, aduerſus ſpiritũ luctantibus, ſpretiſq; huius mundi illecebris, & aduerſarij diaboli caſſatis dolis, & inſidijs, relinquentes in dies a tergo, quæ ſunt imperfectiora, & ad ea perpetuo quæ ſunt anteriora, & perfectiora, contendentes, tuæ ſanctiſſimæ voluntati, quoad eius per infirmitatem carnis, fieri poteſt, promptius lubentius, & perfectius, obtemperemus: Donec comprehendamus cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profunditas, donec adimpleamur in oẽm plenitudinẽ, ut Eph. 3.

54.58

ſicut in cœlis angeli tui nihil faciunt, moliuntur, aut cogitant, niſi quod illius regni ciues deceat, & te rege, vndequaq; ſit digniſſimum. Ita tua gratia fac domine, ne quid velimus, aut cogitemus, nedum loquamur, aut faciamus, niſi quod tuæ acceptũ, gratũq; ſit maieſtati, et volũtati vſquequaq; optimæ, & ſanctiſſimę conſentaneum. Da cœleſtis pater, pro tua ineffabili clemẽtia, ut quemadmodũ tui prophetæ & apoſtoli, iuſſis tuis regalibus paruerunt, ſicut iuſti, & ſancti illi, quos illuminare dignatus es tua gratia, & de poteſtate tenebrarũ, in admirabile lumẽ tuum deducere: Et ſicut ipſa ſancta eccleſia puriſſima tua ſponſa, quam lauiſti, & ſanctificaſti, per ſanguinem filij tui, mundans eam lauacro aquæ, per uerbũ vitæ, tuæ paret voluntati: & quẽadmodum ego eccleſiæ tuæ mẽbrum indignũ, obtemperare cupio, tuamq; gratiam, quate-

nus

nus obedire ualeam, peto & flagito: & ſicut angeli, & ſpiritus illi cœleſtes, per omnia ſine controuerſia tuo parent imperio: Similiter & hi qui te deum non habent, qui te ignorant, tuumq; nomẽ, & regnũ execrantes, tui nominis profeſſores, & eccleſiam infeſtant, & ꝑſequuntur, terrena tantũ ſapientes, cœleſtium immemores, tua tandẽ gratia illuminati, & ſplẽdore euangelij gloriæ tuæ illuſtrati, in cognitionem tui, ſecũdum omnẽ menſuram plenitudinis, deducantur (noſtrum quippe eſt optare, ut ſolem iuſticiæ tuæ oriri facias ſuper omnes, quando electorum numerum, nominaq; ſolus noſti: in tenebris equidẽ eramus & nos, & à regno tuo alieni, nati mortis, & iræ filij, ſicut & illi, donec E tenebris in regnum filij tui dignatus es nos tranſferre) ut omnes per uniuerſum orbem intelligamus, te unum, & ſolum deum, & dominũ, rerũ omniũ regẽ,

5458

& monarcham: tuoq; imperio in omnibus, & per omnia, pro modulo quo noſtra patitur infirmitas, fac in his terris ſic pareamus, quatenus angeli, & cœleſtes ſpiritus, ſine vlla controuerſia, tuæ ſanctiſſimæ obtemperant voluntati. Amen. &c.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

DONINE DEVS, *pater cœleſtis, rex omnipotens, creator, inſtaurator, et conſeruator omnium, omnia cernens, omnia luſtrans, regens, ſuſtentans, alens, & gubernans omnia. Quandoquidē hoc corpus noſtrum fragile, tot, tantis, ac tam variis infirmitatibus, & miſeriis, ærumnis, & calamitatibus, eſt obnoxium, ſpiritumq; ad te anhelantem ſic aggrauat, ut niſi tua benig-*

benignitate, illius ſaluti proſpexeris, animus illius mole, incommodis, & moleſtia prępeditus, nequit ſummã illã tuam maieſtatem, & potentiam, ac adorandam tuam pietatem, & paternam in te ſperantes bene uolentiam meditari, nedum contemplari, et contemplando prędicare. Niſi vitæ conſeruandæ, quam dediſti, proſpexeris, tantum abeſt, ut nomen tuum ea qua nos decet reuerentia celebrare, aut regnum tuum, ut adueniat, tua ve uoluntas in his terris ut fiat, ſicut in cœlo, mentibus in cœlum erectis poterimus poſtulare, ut de nomine tuo ſanctificando, promouendo regno, aut iuſſis exequendis nimia aduerſitate prepediti, ac malorũ vndis preſſi, ac deiecti, ne cogitare qui dẽ valeamus. Ni quos tua virtute, & ſapiẽtia, condidiſti, tua prouidentia, & bonitate alueris, et cõſeruaueris, actũ de nobis erit, peribim⁹. Tuã itaq; oram⁹, et obſecram⁹ bonitatẽ, et miſeri-

5458

cordiam, pater in cœlis habitans, ut nobis de locupleti, & inexhausto, diuitiarũ tuarũ promptuario, propter filiũ, digneris impertiri panem huic vitæ nostræ conseruandæ necessarium: quò vegetiores reddamur, ad cœlestia contemplanda, et bona spiritualia petenda, et assequenda: quaten⁹ curis, et impedimentis corporis, (quę solent animũ nimia anxietate deijcere) tua beneficentia, liberi, & expediti, magis ac magis, in dies proficiamus, in cognitione, reuerentia, & cultu, tuæ immensæ bonitatis, & maiestatis optimæ: ac ut ex toto corde, totáq; anima, & cunctis viribus, tuũ possim⁹ nomẽ celebrare, regnũ ut adueniat desiderare, & expectare, iussisq; tuis regalib⁹, ac sanctißimæ tuæ per omnia voluntati obtemperare. Benigniſsime pater, qui tua beneficẽtia, cœlum imples, & terram, semper manẽs ditißimus, omnẽ possidens plenitudinẽ,

omnẽ

omnem ſufficientiam: in quem ſperant oculi omnium, expectantes, ut eſcam des, opportuno tempore: quoniã, te dante colligũt, & te aperiente manũ, omnia benedictione adimplentur. Qui cœlum nubibus operis, ut pares terræ pluuiam, herbam producens in montibus: & hominibus, & iumẽtis, parans eſcam, etiam pullis coruorũ te inuocãtibus. Tu qui das eſcam omni carni, ſine cuius ope, ne paſſer quidem, qui vix uno minuto aſſe venire ſolet, in terrã poſsit cadere, aut alis ſe mouere, volatilia celi, quę non ſerunt, neq; metunt, alens, & veſtiens agri lilia: te oramus, & ſupplices obſecramus, quatenus nobis adoptione, & gratia, filijs, licet ex nobis, ĭdignis, des ad huius noſtræ vitæ ſuſtentationem, panẽ. Tametſi nos ſeruorum, nedũ filiorũ nomine, noſtra culpa, indignos reddidimus, tu dignus tamẽ, qui ad te clamantes, audias, pro tua miſericordia:

Pſal. 103.

Pſal. 146.

Pſal. 135.

Mat. 10.

Luc. 12.

Mat. 6.

5458

dingnuſq; filius, in cuius nomine petimus, propter quẽ exaudias, licet indignos. Non pro noſtris itaq; meritis, ſed pro tua benignitate, & propter filium vnigenitum, qui ſeipſum obtulit hoſtiam placentem, & placantem, pro peccatis noſtris, obediens tibi ad mortẽ crucis, panem da nobis pater benigniſſime. Da panem: da, quæ ad hanc vitã tuendam, & conſeruandã, ſunt neceſſaria, quámdiù nos hic viuere, tuæ placet bonitati, quòſim⁹, et aptiores, et expeditiores, ad ea meditanda, prędicanda, facienda, et abſoluenda, quæ tuæ placita ſunt voluntati. Da victum, amictũ, & ea quibus iſta nobis parari ſolent, tempora frugifera, aeris ſalubritatem, pluuiã in tempore, fructuum prouentum, corporis vigorem, & ſanitatem: vt vocationi pro tui nominis gloria inſeruiendæ, rebuſq; agendis, pro acquirendo victù, ſufficiam⁹: quãdoquidẽ tua voluntas eſt, ut

non

nō in ſocordia, et torpore, ſed iuſto labore, et ſudore uult⁹ noſtri, iuxta uocationem, in qua uocati ſum⁹, panē de tua nobis dato benignitate, ueſcamur. Atq; ea etiā nobis tribue pater clemētiſſime, ſine quib⁹ hic panis, quē ex te petimus, iſtec tua beneficia, cōſeruari. prodeſſe, & uſui nobis eſſe nequeunt, ſine quibus, hęc vita noſtra, moleſta et iniucunda, futura eſt, et mors dicenda potius, quàm vita. Tu itaq; panē da: da pacē, iuſticiā, fidē, modeſtiā, pacientiam, tranquillitatem, da principes, & magiſtratus, pios, fideles, ſanctos, tui numinis, & religionis ſanctæ cultores, & defenſores, quorū corda in tua ſunt manu, vt ea, quo voles, inclines. Reges, & iudices, æquitatis, iuſtitiæ, & pietatis, fac amantes, eoſq; ſerues, & tuearis, illiſq;, fideles, conſiliarios, & aſſeſſores, facito adhiberi: quorū conſiliis, (abdicatis ſuſurronibus, et adulatoribus, et

ad

5458

ad iniqua ſuadentibus) acquieſcant. Fac populum, regibus, & magiſtratibus, morigerum, & obſequentem: ut ſuæ quiſq; ſeruiẽs vocationi, bñficijs, a te acceptis, liceat frui, cum gratiarũ actione. Atq; ea omnia, quæ ad huius vitæ cõſeruationẽ, ſũt neceſſaria, pro tua virtute, & clementia, tuere, & defende. Satanæ, atq; omniũ, ſaluti noſtræ aduerſantium, vires, & conatus confringe, contere, comminue, extingue. Panem nobis dato, quem nondũ accepimus, ſed ex te accepturos expectamus: eumq; quẽ benigna nobis dediſti manu, in vſum noſtrũ ſerua, proſpera, fœcunda: alioqui, & ſi in manibus ſit, nedum in penario, interiturũ, & nihil nobis profuturũ. Quoniam niſi tu domũ ędificaueris, & ciuitatem cuſtodieris, fruſtra vigilant, qui uel cuſtodiunt, uel ędificant illã. Da itaq; nobis pro tua inexhauſta bonitate, pater cœleſtis, panem noſtrũ.

non

Non ſibi quiſq; panem ex te poſtulat, priuatim dari, ſed omnes, in commune, omnibus, & ſingulis, eatenus donari petimus, quatenus, ad ſalutem, & uitæ conſeruationẽ, fuerit neceſſarius. Et vnus pro omnibus, omnium nomine, atq; omnia tuæ mẽbra eccleſiæ, pro vniuerſis, & ſingulis, tuam interpellam⁹ munificentiã. Te itaq; pater benigniſſime, qui pro tua bonitate, ſolem exoriri facis, ſuper malos, & bonos, & pluuiã mittis ſuper iuſtos, & iniuſtos, nemini inuidẽs tua beneficia, niſi qui ea ſibi inuiderit, oramus, & obſecramus, ut panem noſtrũ, huic vitæ noſtræ conſeruandæ neceſſariũ, nobis omnibus digneris elargiri, non amicis ſolum noſtris, qui de nobis meriti ſunt bene, ſed & ĩs qui nos odio habent, inimicis. Nã Ro. 5.
& nos, cum rebelles eſſemus, & inimici, filij mortis, & iræ, ineffabili tua gratia recõciliaſti tibi per mortem filij tui: lauans nos

5458

Apo.1. Ephe. 2. Colos. 2. a peccatis nostris, in sanguine ipsius: cũq; mortui essemus per delicta, abalienati, a testamento promissionis extranei, cum ipso nos conuiuificans, et conresuscitãs, simulq; cum eo sedere faciens, inter cœlestes, deleto, quod aduersus nos erat chirographo, & affixo cruci. Tu itaq; domine deus pater cœlestis, creator, conseruator, & altor, qui viuunt omnium, nobis indiscriminatim omnibus, da panem hunc nostrum.

Quotidianum.

PANEM nutritiũ, saluti, & vitæ nostræ conseruationi necessarium, quò ad tuas laudes, & gloriam prædicandam, tumq; nomen celebrandum reddamur aptiores: ne inedia, aduersa valetudo, uel egestas, a cœlestium contemplatione, remorentur. Petimus ex te panem nobis dari, quo ala-

alamur, & ſuſtentemur, non opes immodicas ad luxum, & mundi pompam, neq; ſuperfluam rerum, quas hic mundus habet, abundantiam, ſed ea tantũ, quæ ad vitam alendã, & conſeruandã fuerint neceſſaria. Paupertatem ne dederis nobis, neq; diuitias, ſed quod victui ſatis eſt, ne forte ſatiati alliciamur ad te negandum, dicẽtes, quis eſt dominus? Aut egeſtate compulſi, furemur, & peieremus nomen tuum. Panem ex te petimus, qui nobis vſui, & tibi eſſe poteſt ad tui nominis gloriam: ne uel nimia abundantia, et lnxù inſoleſcam⁹, uel nimia inopia, & paupertate grauati, deïciamus animos. Da nobis panem pro menſura, & modo, quo tua nouit prouidentia, nobis expedire. Locum tibi pater, tempus, modum, aut menſuram non prẽſcribimus, quid, quãtum, quomodo, & quando des: Hec tuo arbitrio, atq; optimæ volun- Prou. 30.c.

5458

tati, dispensanda relinquimus: scientes, loco, & tempore, secundū modū, & mēsuram, te id, quod petimus, donaturum, quibus te maxime dare decet, & nos expedierit accipere: idq; & melius, & vberius, quàm vel petere nouimus, uel optare. Panem quo nobis ad salutem opus esse nosti, dato: & quē dedisti ne pereat, conseruato: alioqui, uel prorsus interibit, aut nobis nihil ultra profuturus sit. Panem da nobis pater quotidianū, supersubstantialem. Solent patres huius carnis, suis aliquando filiis prospicere de ijs, quæ ad huius vitæ necessitatem pertinent, tametsi tuum est, quod elargiuntur, & quod habent: ex tua acceperunt beneficentia, quæ habent, omnia: cui & ipsos parentes, & quæ nobis tribuunt, & ipsam vitam debemus, & quicquid habemus boni. At propterea quòd hoc corpus nostrum, & si fame non pereat, quòd frumētaceo pane

et vi-

no quod in ventrem traïcitur, alatur: mor
bo tamen, aut ſenio, aut alio caſu, breui in-
teriturum eſt. (ſtatutum eſt omnibus homi-
nib⁹ ſemel mori) Ex te pater ſpirituum, ex
quo omnis paternitas, in cœlis, & in ter-
ris nominatur, qui charitate erga nos, &
beneficentia, omnem ſuperas affectum pa-
ternũ, immẽſo interuallo, panẽ etiã petimus,
& flagitamus quotidianũ dari nobis hodie,
cœleſtem, ſuperſubſtantialẽ, quo recrean-
tur, aluntur, et ſuſtentantur animi: ſine quo
pane in hoc mundo viuentes, apud te ſumus
mortui. Vt diù ſine cibo & potu, corpus
hoc noſtrum durare nequit, ita niſi hoc ſu Mat.
perſubſtantiali pane alatur, & ſuſtentetur 4.
animus, langueſcit, moritur. Non in ſolo Mat.
pane viuit homo, ſed & in omni verbo quod Luc.
de tuo procedit ore. Hoc cœleſti, & ſpiritu 4.
ali pane in uiſcera animæ traiecto, internus Exo.
homo noſter renouatur in dies, adoleſcit, 34.

&

5458

Ephe. 3.4. & grandeſcit, in virum perfectum, in menſuram plenam adultæ ætatis Chriſti, & in omnem plenitudinem dei. Is panis eſt per verbũ tuũ, tui domine cognitio, qua per fidem, in charitate radicati, & fundati, comprehendimus cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profunditas, illam tuam ſupereminentem omni humanæ cognitioni charitatem erga nos, in Chriſto IESV domino noſtro. Panem da nobis pater de cœlo, non illum, quem dediſti per manum ſerui tui Moyſi, manna, in deſerto: de quo edentes mortui ſunt: ſed panem illum de cœlo verum: corpus, & ſanguinem, filij tui, qui dat vitam mundo: de quo qui ederit, non morietur ineternum. In cibum nobis da Chriſti filij tui carnem, & ſanguinem in potionem: Cuius caro vere eſt cibus, & ſanguis vere eſt potus. Niſi carnem eius ederimus, & ſanguinem biberimus,

rimus, non ſumus habituri vitam in nobis. Io.6.
Qui vero carnem ipſius ederit, & ſanguinem biberit, vitam habet æternam. Quoniam a te factus eſt, nobis in te credentibus, ſapientia, iuſtificatio, ſanctificatio, redemptio, & vita: da carnem ipſius edere, & ſanguinem eius bibere, in fide, ſpiritù, & veritate: quia via nobis eſt, & veritas, & vita. Doctrina, & exemplo, via eſt: in promiſſione, veritas: In premio, uita. Pro tua itaq; inexhauſta miſericordia, da pater, & propter illam charitatem qua dilexiſti nos: ne vnquàm aberremus a doctrina filij tui, qui nobis eſt uia, qua itur ad te. Fac preceptis obedientes, & perſeuerandi da conſtantiã, ne a doctrina filij, uel ad dexteram, vel ad ſiniſtram, vnquàm deflectam⁹, ſed recta incedentes, a tergo relictorũ obliti, ſemper ad perfectiora contendamus: donec ad vitam perueniamus, 1. Cor. 1.

quam

5458

quam præparasti diligentibus te. Adauge fidem, ne vnquàm diffidamus promissis tuis in filio tuo, qui ueritas est. Panẽ hunc nostrũ quotidianum, quotidianis vsibus, & vitæ huic nostræ necessarium, supersubstantialem item, et cœlestem, quo recreentur animi, pater cœlestis pro tua nobis benignitate da ¶DA, DA hunc panẽ nostrum quotidianum: da pater, ex gratuita benignitate, & gratia, licet ingratis: Licet indignis. Nõ debitum exigimꝰ, quasi iudicio tecum contendentes, ingrati, & inutiles seruuli, sed gratuitum, propter benignitatem flagitamus donum, ex misericordia. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuã, neq; pro nostra dignitate quidquàm a tua petimus amplitudine: quoniam iniquitates nostras nos cognoscimus, et confitemur: peccata siquidẽ nostra nobis semper sũt opposita

ta, quæ tanquam ventus puluerem a facie terræ, ita et nos abstulerunt. Non itaq; in iusticijs nostris prosternimꝰ preces ante faciem tuã, sed in fiducia tuæ misericordiæ: pro tua bonitate, prõq; filij tui vnigeniti obedientia, & dignitate, ex tua istec petimus liberalitate donari. Nam quicquid accepimus, aut sumus accepturi, quicquid habemus, & id quod sumus, et ferimus, et feremus, tuæ acceptum gratuitæ beneficentiæ: qui & condidisti ex nihilo dum non essemus, et iustificasti, qui ex nobis eramus praui, et iustificatos, seruas ex misericordia, ne ruamus in exitium. Petimus itaq; hunc panem nobis dari, non tanquam mercedem, (tametsi mercede non carebunt, qui tibi fideliter inseruiunt, ut enim malorum punitor ex iusticia, ita bonorũ remunerator es ex misericordia) sed tanquám gratuitum donum, & beneficium: quoniam nihil

Mat. 10.25 Ro.1. 2. 2.Co. 5. Heb. 6.ii. 2.Tim. 4.

5458

hil cuiquám debes ipſe, niſi ex promiſſione, & miſericordia, ſed omnes debemus tibi: panem quem habemus, ſalutem, vitam, noſmetipſos, & omnia. Quid habemus quod
1 Cor. 4. ex te nõ accepimus? quid facere poſſumus, ut te nobis debitorem conſtituamus? qui cũ fecerimus omnia quám poſſum⁹ optime, ſerui tamen inutiles ſumus, quandoquidem ſupra id quod facere debebamus, nihil præſtitimus. Tu itaq; pater in cœlis habitans, qui nullius rei indigus, omnibus largiris affatim, (cui nihil cuiquám debenti, niſi ex miſericordia, promiſſione, & gratia, omnes debemus omnia) da hunc panem, quem ex te petimus quotidianum. Noſtrum licet ſit, vocationi, ad quam nos uocaſti, inſeruire, ac pro victũ parando, ſedulo, & diligenter, laborare (ne tuo iuſſui, te tentantes videamur reluctari: qui iußiſti, ut in ſudore
Ge. 3. vultus noſtri, veſcamur pane noſtro) labo-

ris-

ris tamen noſtri fructum, ex te de cœlis expectamus: quia neq; is qui plantat, neq; is qui rigat, eſt aliquid, ſed tu domine, qui incrementum das, & omnia. Dante te colligimus, & te manum aperiente, benedicti onibus adimplemur. Te faciem auertente, turbamur, & confundimur. Tuum equidem munus eſt, ex tua gratuita munificẽtia proficiſcens, omne quod habemus, ſiue hereditario iure, ſiue donatione, ſiue noſtro labore, arte, induſtria, contigiſſe videatur. Tua quidem ſunt dona, & nobis tanquàm mendicis, de tua benignitate impertita eleemoſina, quæ habemus omnia: qui de cœlo pluuiam das, & ſolem, & tempora frugifera. Ideo rogamus te domine, hunc panem noſtrum quotidianũ, da nobis: nobis inquàm omnibus, ſuper quos facis huius mundi ſolem exoriri, pro tua inexhauſta bonitate, & munificentia,

1 Cor. 3.

Pſal. 103.

Act. 4.

Oſe. 2

54.58

& corporeum, & ſuperſubſtantialẽ panem noſtrum da nobis.

Hodie.

HODIE nobis dari petimus, quæ ad hanc noſtram vitam conſeruandã etiam quotidie, (quámdiu hic nos in hoc mũdo viuere, tuæ placet maieſtati) ſunt neceſſaria: temporis poſt venturi ſolicitudinẽ abiicientes: ſicut nos docuit filius ne in craſtinum ſoliciti ſim°, quid edam°, aut bibam°, aut quibus operiamur, quòd vnuſquiſq; dies ſecum adferat ſuam ſolicitudinem: Et quorſum ſimus in craſtinum ſoliciti? cum certa nos habet fiducia, iis quos hodie, paſcis, craſtinum panem haud defuturum. Quando volucres cœli paſcis, quæ non ſerunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & veſtis agri lilia, quanto magis nobis, quos in filios per filium adoptaſti, proſpecturus es,

qui

qui in te ſperantes, ex tua benigna manu, benedictionem expectamus? Potes ſi lubet nos paſcere, ſicut Helyam pauiſti, qui in ſubcinericij panis eſu, & aquæ hauſtu, ambulauit in illius cibi fortitudine, quadraginta dieb⁹, & quadraginta noctibus, uſq; ad montem tuum oreb. Potes nos (ſicut iſraelem pauiſti in deſerto) ſine cibo & potu, noſtro labore parto, & conquiſito, Manna, de cœlo alere, & vitam conſeruare. At quando ſic tuæ placuit maieſtati, ut in ſudore vult⁹ noſtri (pro ſua quiſq; uocatione) noſtro veſcamur pane, qui nō diu ſuſtentet, ſed ſtatim digeritur, ut ſingulis diebus eſurientes, ſingulis diebus, omni tempore, omni hora, occaſionem habeamus te inuocandi, & ex te petendi, quæ in vſum noſtrum ſunt neceſſaria: adeoq; gratias agendi tibi, nomẽq; tuum celebrãdi: neq; cum iudæis ſignum ex te petimus, Ge. 3.

5458

neq; cum grecis, & ſapientibus huius mũdi, ſapientiam mũdi quærimus: ſed fide, & ſpe, ex te pendentes, fide inquám viua per dilectionem efficaci, ſine temporis poſt futuri, anxietate, & ſolicitudine, in diem petimus, & expectamus, ex te panem noſtrũ quotidianum, eaq; omnia, quæ pro vita hac noſtra, tuenda, & conſeruãda, proq; alendo, roborando, & confirmando ſpiritù, in diem, quotidie, quoad hic datur viuere, in uſum noſtrum ſunt neceſſaria: ut te bonorũ omniũ largitorem agnoſcamus, agnoſcẽtes, cum gratiarũ actione, bonitatem tuã adorantes prędicemus, prędicantes adoremꝰ. In diem petimus quotidianũ panẽ nobis dari hodie, non quòd nos victus quęrẽdi, omni velis opera liberari: quòd inertes, deſides, ocioſos nos uelis eſſe, nullãq; nos uictui parando operam dare, abſit. Sic enim & noſtræ vocationi, & tuo ſancto imperio re-

repugnaremus. Tua quidem uoluntas eſt, ut ſuæ noſtrum quiſq; ſtrenue, ac fideliter uocationi inſeruiens, in ſudore vultus, pane noſtro veſcamur. Vis nos laborare manib⁹, operando quod bonum eſt, ut poſſimus impartiri ijs qui opus habent. Si quis non vult operari, is nec edat. Dum iubes panem nos quotidianum petere nobis dari, non vis omni cura nos ademptos eſſe, ſed cum quiete operantes quod bonum eſt, benedictionem E ſupernis expectare. Ioſephus ſeptem illis fertilitatis annis collegit, quæ ſeptem annorum ſterilitatis ſequentiũ penuriam, & inopiam ſublenarent. Colligebant tuo mandato iſraelitæ, die ſexto, quantum mãnæ ſufficeret in ſabbato. Quin & formica congregat in meſſe, quod comedat in hyeme, ex qua iubet ſapiens, nos ſapientiam diſcere. Illa vero mentis anxietas, & inquietudo, ac parandi victus

Ge.3. EPh. 4. 2 Theſ. 3. Gen. 41. 42. Exo. 16. Prou. 6.

5458

ſolicitudo, quæ cum diffidentia, deſperatione, aut auaricia coniuncta eſſe ſolet, qua gentes quæ te ignorabant, teq; neglexerunt victum ſibi ſtudebãt parare, procul abeſſe debet ab eo, qui ex te petere, uel a tua quidquàm debeat benignitate expectare. Nã ut male petit, aliud nimirum, atq; alio modo petens q̃ iußit filiꝰ, ita nihil impetrabit. Nos vero iuxta orandi formã, quam prȩſcripſit filius, oramus: tuæq; fidentes bonitati, et de futuro haud ſoliciti, petimus ex te panem noſtrum quotidianũ hodie nobis dari. Panem nutritiuum, id eſt, quæ hȩc prȩſens vita exigit, omnia, pro ea ad tui nominis gloriam conſeruãda. Victũ, ueſtitum, & quibus iſta parantur, ſalubritatem aeris, frugum vbertatẽ, & ſine quibus parta non poterint commode conſeruari, atq; vſui nobis eſſe: pacem, tranquillitatem, bonam valetudinem, pios, fideles, iuſt-

iuſtos, & ſanctos magiſtratus. Ante omnia vero panem noſtrum ſuperſubſtantialem, cœleſtem, ſpiritualem, quo recreantur, fouentur, & confirmantur animi: per verbum tuum, diuinę tuæ voluntatis, iuſticiæ, & bonitatis cognitionẽ: Hoc cœleſti pane refocillatos fac tibi per fidem, ſpem, obedientiam, & amorem, conſtanter adhęrere. Fac nos filij tui carnem edere, & ſacroſanctum ipſius ſanguinem bibere: fac nos per fidem in ipſo manere, illumq; in nobis manentẽ habere: fac agnoſcamus ipſum a te factum nobis, redemptionem, iuſticiam, ſalutem, & vitã: nec eſſe aliud nomen ſub cœlo datũ, in quo nos oportebit ſaluos euadere. Illum eſſe cui omnes prophetæ teſtimonium perhibuerũt, remiſſionem peccatorũ accepturos per nomẽ eius, omnes qui credunt in eum. Ipſum mundi lucem eſſe, ſecundũ quam debemus

1 Cor. 1

Act. 4.

Act. 10

5458

ambulare: quia uia est: fac nos ipsius uerbo, et promissioni cõstantissime fidere, quia ueritas est: fac nos in ipso conquiescere, et quiescentes nihil preterea desiderare, quia uita nostra est, & gloria. Tuo sancto spiritu nos confirma, per eum nos deducens in omnem veritatem, de claritate, in claritatem, & tuarum diuitiarum omnem plenitudinẽ. Lucis tuæ radijs, mentis nostræ tenebras, & nebulas illumina, & serena, errantes dirige in uiam veritatis, statuens super petram pedes nostros, et semitis nostris lumẽ ostendens. Dulcescat uerbum tuũ in auribus, & ore nostro, supra mel & fauum. Spe sustenta, fide nos confirmato, & charitatis accende flammis, ut nulla re alia delectemur, in nulla re alia conquiescam°, quám in te, cum filio, & spiritu sancto, qui uita, salus, & nostra es gloria, ultra quám non est quod desideremus, neq; in cœlo, neq;

in

in terra. Da itaq; cœleſtis pater noſter, propter tuam magnam miſericordiã, & filium vnigenitum, una cum pane noſtro quotidiano ſubſtantiali, quo ad tui nominis celebrationem, & gloriam, noſtra recreantur, & reficiuntur corpora, verum pariter diuini uerbi tui intellectũ, tui per verbũ tuum cognitionem, cibum illum ſuperſubſtantialẽ, quo refocillentur, & confirmentur animi in te ſperantium. Magna petim°, ſed a magno & per magnum, a te patre noſtro, optimo, maximo, per, & propter filium vnigenitum, ſummũ regem, & ſacerdotem noſtrum.

Et remitte nobis debita noſtra.

Q VOTIDIANVM *ex te petim° pater cœleſtis hodie panem dari: Sed quid hic panis, nobis ſit profuturus, niſi*

5458

debita nobis remiſeris, plane ignoramus. Corpus, & ſi in dies alatur quotidiano pane, nihilq; defuerit, quod ad illius ſuſtentationem attineat, niſi tu debita remiſeris, aliter ad gehennam. Paniſq; ille ſuperſubſtantialis, diuini verbi tui, & voluntatis cognitio, niſi tu debita remiſeris, quid aliud erit nobis, quám iudicij tui formidabilis expectatio? Tui autem filij corporis eſus, & ſanguinis potio, niſi tu debita remiſeris, iudicij nobis & mortis eſt præguſtatio. Nã qui edit, et bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, reuſq; fit corporis, et ſanguinis domini. Itaq; domine deus omnipotens, pater in cœlis benigniſſime, ut hic panis, quẽ ex te petimus, nobis ad ſalutem proſit, oramus, & per charitatem, qua dilexiſti nos, perq; filium tuũ vnigenitũ, obſecramus, ut noſtra nobis remittas debita ſecundum magnam miſericordi-

1. Cor. 11.

am tuam. Si quidem remiſeris, omnia in bonum nobis, & in ſalutis cumulum ceſſura ſunt. Remitte nobis debita: remitte nobis peccata noſtra, quæ nos tibi debitores conſtituũt, tuoq; tremendo iudicio faciunt obnoxios. Debita illa ciuilia, quæ debentur proximis, illaq; charitatis, & reuerentiæ officia, & proximis, et tibi debita, remitti non poſtulamus (ſiquidem ut illa poſſunt exigi, ſeruato iuris ordine, ita & hec omnino ſunt prẹſtanda, & perſoluenda) ſed illa tantum debita petimus remitti, quibus exoluendis, propter mandatorum tuorum tranſgreſſionem, tenemur obnoxij: æterna illa æternæ mortis ſupplicia, & ea quæ illis ſubeundis, & perſoluendis, debitores nos faciunt, noſtra ſcilicet peccata: propter quæ meritas debemus pœnas, ſi quidẽ eas de iudicij tui iuſto rigore velles exigere. Hęc noſtra debita, quæ nos iræ, iudi-

cio

5458

cio, et æternæ morti faciũt obnoxios, remitte. Debitores nos agnoscimus, & confitemur. Si dixerimus peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis
1 Io. 1. non est. Debemus tuæ maiestati, honorem, & venerationem, tua dignam celsitudine. Paternitati, et amori, mutuam ante omnia, & supra omnia, dilectionem: pro amplissimis beneficijs, gratiarum actionem, et debitam gratitudinẽ. Proximis nostris, syncerum propter te amorem, non verbo tantum, sed & corde, sed & opere quoq;, & ueritate: tum amicis, tum inimicis quoq;, beneficentiam. Hæc quoties non præstam⁹, debitum non soluimus, et pœnis propterea luendis, debitores nosmet constituimus. Debita quidem remitti si petamus, quæ non debemus, ridere potius, q̃ orare videremur. Debita nos habere, quæ tua remittas gratia, & multa & magna, fatemur domi-

ne

ne. In multis offendimus omnes. Cuḿq; fecerimus omnia quæ poßum⁹, & q̃ poßumus optime, ſerui ſumus inutiles. Hanc imperfectionem, inutilitatem, & quotidianas a uirtute, & perfecta obedientia, defectiones, nobis ne imputes, ſed remittas, pro tua pater, clementia. Condonaſti ſemel nobis, in lauacro regenerationis, quia tamen per infirmitatem quotidie labimur, (quamdiù hanc carnem morti obnoxiam circumferimus) remitte nobis pater, noſtra peccata hodie: et quotidie ad te clamantes pro remiſſione exaudi. Quotidie labimur: quotidie ita q́; tua miſericordia nos egere, & agnoſcimus, et fatemur: quotidie pro ea impetrãda oramus, orantes, tuam quotidie clemẽtiam glorificamus, & bonitatem. ¶Ego vero eccleſiæ tuæ membrum infimum, abiectiſſimum, tuæ tamen eccleſiæ membrum, teſ-

Iac. 3.

Luc. 17.

5458

teſtimonium huius rei perhibẽte tuo ſpiritu, per fidem, qui me ſceleris conſcium, & ex animo pœnitentem ad te clamare facit, abba pater). Et ſi quæ peto, omnib⁹ in commune petam dari, non hanc tantum imperfectionem, errata, & defectus, qui ſanctis quandoq; tuis, in his terris (quamdiù theſaurum tuum portant in vaſis fictilibus) ſolent accidere: ſed iniquitatem, & iniuſtitiam etiã meam, ſeorſum confiteor tibi domine, ut tu remittas mihi, impietatem peccati mei, quoniã iniquitatem meã ego cognoſco, & peccatum meũ contra me eſt ſemper. Peccaui tibi domine, & malum coram te feci. Peccaui, iniquitatem feci, atq; impie egi. Non obediui voci tuæ, neq; voci ſeruorum tuorum, prophetarum, qui locuti ſunt in nomine tuo: a mandatis, & iudicijs tuis, declinaui, & receſſi. Iniquitates meæ, tanquã ventus, me abſtulerunt a facie

Pſal. 50.

Dan. 9.

cie tua: ſupergreſſæ ſunt caput meũ, multiplicatæ ſupra capillos meos, & ſicut onus graue, grauatæ ſuper me. Numeroſiores arenis in littore maris, crebriores, pelagi ſæuientis, vndis. Arguit me mea, perpetuo conſcientia: multaq;, & turpiora, & grauiora, commiſi, quám ipſa mihi opprobrat. Nã occulta me latent plurima, quæ tibi, (cui patent omnia) manifeſta ſũt. Delicta quis ĩtelligit? ab occultis meis mũda me dñe, & ab alienis parce ſeruo tuo. Delicta iuuẽtutis meę, et ignorãtias meas, ne memineris. Quod momẽtũ vitæ meæ, ab illa, qua primũ mihi rationis vſus acceßit, in hanc, quam nunc ætatem ago, ſine pecca to tranſegi? Vbicumq; locorum ſteti, ſedi, quieui, ambulaui, nouis ſemp maculis diſceſſeram inquinatior. Muneribus tuis omnibus, ac donis, quæ de tua benignitate dediſti mihi, abuſus ſũ perdite. In ĩjs quæ tua

Pſal. 37.

Pſal. 18.

Pſal. 24.

benig

5458

benigna dediſti manu ſuperbiui, alios prę me contemnens, tanquàm ex me eſſent, gloriam quæ tibi referenda foret, aſcribens mihi. Talentum quod ad vſuram credidiſti, abſcondi: in laudem tuam fideliter non expendi, creaturas magis amans, atq; metuens, quàm te. Tui nominis gloriæ, quam prędicare, colere, debebam, & celebrare, dehoneſtamento fui. Quid meas commemoro iniquitates: neq; tuæ maieſtati, neq; proximis, ea quæ debebam, officia, rependi: & fœdus miſere ſolui, & fidem in ſacro regenerationis lauacro datam, in te peccãdo, violaui. Non, mihi ſi linguæ ſint centũ oraq; centum, ferrea uox, uel centeſimam mearum iniquitatum partem, queo numerare. Noli itaq; in furore tuo me arguere,

Pſal. 141. *neq; in ira tua me corripere. Neq; in iudicium intrare uelis cum ſeruo tuo, quia non*

iu-

iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuẽs
. Ne me proïcias a facie tua domine, neq; Psal.
spiritum sanctum tuum auferas a me. Remi 50.
niscere miserationum tuarum, & misericor Psal.
diarũ, quæ a seculo sunt. Et laua me ab ini- 24.
quitate mea, & a peccato meo munda me.
Meserere mei deus secundum magnam mi- Psal.
sericordiam tuam, & secundum multitudi- .50.
nem miserationum tuarum dele iniquitatẽ
meam. Quoniam si iniquitates obseruaue- Psal.
ris, quis sustinebit? Miserere mei deus, mi .129.
serere mei, quoniã in te confidit anima mea. Psal.
Miserere mei deus, quia infirmus sum, sana .56.
animam meam, quia peccaui tibi. Tibi soli Psal.
peccaui & malum coram te feci, miserere .50.
mei deus, ut iustificeris in sermonibus tuis,
& vincas, cum iudicaris, nimiæ seueritatis, & inexorabilis: qui tamen non vis
mortem peccatoris, sed magis, ut conuer-

tatur

5458

Eze. 18. tatur, & viuat. Ego ſum, ego ſũ miſer ille publicanus, qui ob ſcelerum meorũ multitudinem, in cœlũ oculos leuare non auderẽ niſi iußiſſet filius ad thronum gratiæ tuæ, me recipere, & patrem compellare.

Luc. 18. Deus itaq;, propicius eſto mihi peccatori.

Luc. 10. Ego ſum ille miſerrimus homuncio, qui in latrones incidi, dire ab eis vulneratus, & relictus ſemiuiuus: Tu itaq; O dulciſſime Samaritane, oculo me tuæ reſpice miſericordiæ, & miſerere mei: quoniam infirmus ſũ, teloq; mortis, ab illo malo, male vulnerat⁹: oleum & vinum meis infunde vulneribus, & ſana me, quoniã conturbata ſunt omnia

Pſal. 6. oſſa mea. Non eſt ſanitas in carne mea, a facie iræ tuæ. non eſt pax oßibus meis, a

Pſal. 37. facie peccatorum meorũ. Sana me domine, & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero,

Luc. 15. quoniam laus mea tu es. Ego ſum, ego ſum filius ille prodigus, bonorũ tuorũ decoctor,

qui

qui te patrem benigniſsimum impie reliqui, qui per omnẽ ætatem, omnes et corporis, & animæ dotes: omnem quã dediſti ſubſtantiam, nequiter prodegi: præceptorũ tuorum oblitus, carnis cupiditatibus, tanquã fœdis nepotibus, & ſcortis impuriſsimis, inſeruiens, ad extremã redactus inopiam, in turpiſsimã me conieci ſeruitutem. Herodes perdendũ filium tuum quæſiuit: Iudæi Barrabam petierunt dimittendũ, filium uero tuum affigendũ cruci: Pylatus aduerſus eum dixit mortis ſententiam, verũ & ego mortis illius cauſa fui, quandoquidem pro peccatis meis mortuus eſt. Neq; Pylatus, neq; iudæi, ullam habuiſsent in eum poteſtatem, niſi fuiſſet E ſupernis â te data. Data eſt autẽ ne æternũ ego perirem, ut patiendo, & moriendo chirographum quod erat aduerſũ me, deleret, & iuſto rigori tui iudicij, pro me redimendo, ſatiſfaceret. Meæ Io.19.

5458

itáq; peccata, mortis ipſius cauſa fuere. Et quoties in te letaliter pecco, toties non ſtat per me, quin iterum affixus cruci, moriatur. At ſemel mortuus, iam non amplius moritur, mors illi ultra non dominabitur,
Heb. 9 quoniam ſemel eſt oblatus, ad multorũ ex haurienda peccata. Vnamq; pro peccatis
Hebr. .10. offerens hoſtiã, vnica oblatione perfectos effecit in perpetuũ, eos qui ſanctificantur. Mea peccata illius mortis cauſa fuere: eiuſq; mortis in dies occaſionẽ prebeo, ſi morti amplius obnoxius eſſe poſſet. Propitius itáq; eſto mihi miſericors pater, remitte mihi debita, & propter nomẽ tuũ, ſecundum magnam miſericordiam tuam, miſerere mei. Remitte mihi debita propter vnigenitum filium, tametſi cum cęteris peccantibus, mortis ipſius cauſa fuerim, & cũ crucifigentibus videar crucifixiſſe, quòd illa contraxerim, & perpetrarim, propter quæ mortuus eſt. Propter illum tamen peto re-

mitti mihi debita, qui pro ſe crucifigentibus, te orauit in cruce pendens. Pro me ita q; orauit: illum pro me orantem exaudies, propter ipſius reuerentiam, & obedientiam ad mortem crucis: propter illum remitte mihi pater, & miſerere mei. Te pater reliqui, â te defeci miſere: nec inuenio quò, uel ad quem confugiam, niſi ad te domine, à quo profugi. Tuæ fidens clemẽtiæ, et bonitati, reuertor ad te domine, ſeruus malæ frugi, nequiſſimus, impiiſſimus. Reuertor inquam ad te, de terrâ illa longinqua, de regione tenebrarum ad quam profugi, à ſordibus illis egiptiacis, & fece babilonica, qua me inquinaui, egenus, nudus, & inops, nihil mecum referens, preter infœlicem conſcientiam, omni ſcelerum, & impietatis genere, refertam. In peccato natus, & conceptus, peccata peccatis in dies accumulo, & cum ætate creſcit iniquitas, miſerere mei Deus,

5458

miſerere mei, & ne reſpicias multitudinem iniquitatum mearũ, ſed tuæ immẽſitatem miſericordiæ, & propter nomẽ tuũ propicius eſto mihi peccatori, et miſerere mei. Pater benigniſſime, cuius miſericordia, cœlum implet, & terram, qui decoctori filio ad te redeunti, pro tua clemẽtia ſoles occurrere, qui non exheredas, non abdicas ingratum, nõ â genibus ſupplicẽ, & domo repellis: ſed quem diutiſſime peccantem ſuſtinueras, reuertentem tandem ad te, & ſceleris pœnitentem, ad oſculum, & amplexus lubenter admittens, recipis in gratiam, omnemq; noxam pro tua condonas miſericordia: me tuũ ſeruulum indigniſſimum, pietatis oculo digneris intueri, neq; ſupplicem a te repellas, & abdices, ſed admitte confugientem ad tuæ aſylum miſericordiæ, pro tua bonitate. Non peto complexum, & oſculũ, non annulum neq; priſtinæ dignitatis inſignia,

quæ

quæ proieci: Abunde magnum erit, ſi inter mercenarios, & ſortis extremæ tuos ſeruulos me admiſeris, ut in aliqua ſaltẽ parte tuorũ ſim, quandoquidẽ in tua domo manſiones multæ ſunt. Qui ex nihilo dũ nihil eſſẽ me tua uirtute condidiſti, qui tua ſapientia, & prouidentia mihi hactenus proſpexiſti, & ſeruaſti, ne perirem: me tua dignare miſericordia, a nefarijs peccatorum meorum ſordibus, quas contraxerim, emundare, & captiuitatis iugo, cui ultro collũ ſubmiſerĩ me liberare. Reſtitue plaſma quod ipſe finxeras: reſarci in tuo opere, pro tua bonitate, quod meo vicio, & culpa deprauatũ eſt.

¶ Hęc tua ter maxima beneficia, nõ mihi priuatim ſoli, ſed oĩbus in commune abs te dari poſtulo, quia ſic nos petere docuit, iuſſitq; filius. Aequumq; eſt, ut bona patris omnium communis, oĩbus ex æquo filijs, communia cupiamus. Hęc itaq; quæ ex te peto,

&

5458

& mihi, cæteriſq; omnibus hominibus, e-
largire quęſo pater benigniſſime. Tametſi
forſan ego, ſępius, grauius, & enormius,
in te deliquerim, omnes tamen peccauimus,
& egemus gratia, & gloria tua domine.
Rom.3. Peccauimus, iniuſte egimus, iniquitatem
Gala.3. fecimus, miſerere noſtri domine, miſerere
noſtri. Propter temetipſũ inclina deus pa-
ter noſter aurem tuam, ad preces noſtras,
Da.9.c & audi, aperi oculos tuos, & vide neceſſi-
tatem noſtram: quoniam non in iuſtificatio
nibus noſtris, proſternimus preces ante fa-
ciem tuam, ſed in miſerationibus tuis mul-
Pſalm. tis. Propter bonitatem tuam memẽto noſtri
24. domine, & propter nomen tuum ignoſce
peccatis noſtris, quoniam multa ſunt. Pa-
ter benigiſſime, qui non confundis, ſed ſer-
uas eos qui ſperant in te: quibus non retri-
Pſalm. buis ſecundum iniquitates, ſed propter bo-
102. nitatem tuam miſereris illorum, quemad-

mo-

modum miſeretur pater filiorum miſerere noſtri: qui tuã extẽdis miſericordiam ſuper eos qui tibi fidunt, latius quam oriens ab occidente, aut quám cœlũ diſtat a terra: quoniã ſuauis es, benignus, & miſericors, et miſericordia tua ſupra omnia opera tua. Pſalm. 144.

Miſericordia tua domine, ab æterno et uſq; in æternũ, ſuper eos qui ſperant in te. Miſerere itaq; noſtri deus, propitius eſto, & remitte nobis debita noſtra, ſecundũ magnã miſericordiã tuã. Magna quidem ex te petimus, maiora ne deſiderari, imo ne cogitari quidẽ poſſunt. Remiſſionem petentes, iuſticiam petimus iniuſti, qua iuſtificemur, noſtra nobis iniquitate nõ imputata ex iniuſtis ut fiamus iuſti: petimus ſalutem, miſeri, ĩfirmi, ꝑditi: libertatẽ, ſerui: uitã, mortui. Petimꝰ cũ peccatorũ remiſſioẽ, in regno tuo, et gloria, funiculũ hæreditatis, quã prꝫ paraſti ĩjs qui tui ſũt, qui tibi ex tota anima fidunt qui te reuerentur, & amãt. Nã quos

Pſalm. 102.

5458

Rom. 8 tu iuſtificas, illos & glorificabis, ſi permã-
ſerint in obedientia, & fide. Remiſſionẽ pe-
tentes, tuum petimus regnum, te ipſum, &
omnia. Remiſſionẽ non petim⁹ nobis reddi,
tanq̃ debitum, tanquam mercedẽ, tanq̃ tuæ
uoluntati, & imperio, obſequentib⁹, & iuſ-
ſa regalia in omnibus & per omnia, adim-
plentibus: (nolumus tecum iudicio contẽ-
dere domine, quia non iuſtificabitur in con
ſpectu tuo omnis viuens, cum fecerim⁹ om-
Luc. 17 nia, & quàm poſſumus optime, ſerui ſumus
inutiles) ſed tanq̃ debitoribus, tanq̃ (ut re-
uera ſumus ante gratiã, et indulgẽtiã tuã)
peccatoribus, ingratis, hoc, quẽ ex te peti
mus, quotidiano pane, et beneficijs tuis, indi
gnis, remiſſionẽ debitorũ tua gratia, dono,
beneficentia, & miſericordia nobis donari
poſtulamus: nobis inquàm peccatorib⁹, pec
cata noſtra agnoſcẽtibus, cõfitentib⁹, pœ
nitentibus, promiſſis tuis fidentibus, ex tua

pen-

pendentibus miſericordia, & fructus pœnitentia dignos facere deliberantibus, & facientibus. Remiſsionem petimus ex gratia propter charitatem tuã, propter tuã bonitatem, propter temetipſum, propter filiũ unigenitum. Quid ergo? nulla ne ſunt ſanctorum tuorũ merita? Sunt plane: iuſtus es domine, qui non obliuiſceris laboris, & dilectionis ſanctorum tuorũ. Siquidẽ accedẽtium ad te remunerator es. Tibi militãtibus proponitur corona iuſticiæ quám redditurus es in illo die iuſtus iudex. Imo dans calicem aquæ frigidæ in tuo nomine, habiturus eſt mercedem: quia tu reddis vnicuiq; ſecundũ opera. Sed hoc tuæ debetur gratiæ & miſericordiæ, quòd merita ſunt, ut qui gloriatur, non in ſe, ſed in te glorietur, ex quo habemus quicquid habemus, boni, qui bonorũ fons es & author, Quid habemus quod ex te non accepimus? Ante tuam gra

Heb. 6. Heb. 11. 2. Ti. 4. Mat. 10. Ro. 1. & 2. 2 Cor. 5. 1 Cor. 4.

tiam

5458

Aug. tiam(inquit tui noĩs,et fidei cõfeſſor)nullũ meritũ, cũ oẽ meritũ non faciat niſi gratia. Et cũ noſtra coronas merita,tua ipſius
Ro,6 coronas munera. Stipendium peccati mors, gratia autẽ vita æterna,per IESVM chriſtũ dn̄m noſtrũ. Pro tua itaq; gratia,et miſericordia, remitte nobis debita noſtra, non quæ nos debere ſimulamus, ſed quæ debem⁹ et ꝓpter quæ tuo reddimur iudicio obnoxij. Non preces ſimulantes adulamur, non ridemus, ſed ex animo ſeriõq; petimus, & oramus, remitte nobis : quibus nobis? nobis debitoribus, nobis ſeruis inutilibus, ſeruis malæ frugi, ſeruis nequam, indignis, rebellibus, ingratis, nobis ſupplicĩũ potius commeritis, quám promeritis, beneficiũ : tuis nos equidem beneficijs noſtra culpa indignos reddidimus: tu dignus tamẽ qui peccati conſcijs, pœnitentibus, & in te ſperantibus, peccata ignoſcas, & licet indignorũ,

mi-

miſerearis. Si quidem non niſi dignos reſpexiſſes, tua gratia, & miſericordia, nondũ ĩnotuiſſet mũdo. At vero tuã exuberantẽ gratiã tum potiſſimũ exhibuiſti, cũ peccatum abundaret: non ex operibus iuſticiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundũ tuã miſericordiam, nos ſaluos faciens. Qui tuã charitatem, tum commẽdaſti erga nos maxime, cũ eſſemus inimici, reconcilians nos tibi per mortem filij. Et ſi nos indigni ſumꝰ, in quos hec tua conferas beneficia, dignus tamen eſt filius vnigenitus, in cuius nomine petẽtes, te inuocamus, propter quẽ illa conferas: qui ſua obedientia ad mortem crucis, eadem nobis promeruit, & impetrauit: qui et exauditus eſt pro ſua reuerẽtia. Propter inexhauſtã tuã miſericordiã, ꝑpter temet ꝑſũ, propter filiũ tuũ vnigenitũ, ieſũchriſtũ dominũ, & ſeruatorem noſtrũ remitte nobis pater noſter cœleſtis, debita noſtra.

Ro. 5.

Tit. 3

Ro. 5.

5458

SICVT ET NOS REM.

Sicut & nos remittimus debitoribus noſtris.

Luc.11

REMITTE *nobis pater cœleſtis debita noſtra: ſiquidem & nos remittimus debitoribus noſtris.* Nolumus tecũ iudicio contendere, *ut remiſſionem nobis reddas, tanq̃ debitam, quia nos remittimus. Si in iudicium introieris cũ ſeruis tuis, non iuſtificabitur in conſpectu tuo oĩs viuens.* Non ſatis eſt *debenti remittere, quin & creditori oportebit debitum perſoluere: omni homini talem debemus amorem, quali noſmet diligimus,* (*ſuam quiſq; pulſet conſcientiã, & videat, num hoc debitum ad plenũ perſoluerit*) Sed *te rogamus pater, ut gratuita beneficentia, pro tua bonitate, ſecundũ inexhauſtam tuam miſericordiam, remittas propter filium nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris,* Nam

tua

tua uoluntas eſt, qui author es paciſ, et amator concordiæ, ut tui filij quos tua bonitas tot vnanimitatis uinculis copulaſti. quorũ una fides, vnum baptiſma, vna ſpes vocatio nis, vnus pater, unus deus, ut in tua uiuãt familia concordes, & mutuæ charitatis nexù cohęreant. Itaq; hęc tua ter maxima beneficia, (nam qui remiſſionem petit, bona quæ deſiderari poſſunt, petit omnia) non rebellibus, & contumacibus, ſed pœnitẽtibus, credentibus, remittentibus, diligẽtibus, & iuſſis tuis obtemperantibus, ſoles impertiri. Atq; hęc tua etiam dona ſunt, cuius miſericordia, & pręuenit, & ſubſequitur nos, omnibus diebus vitæ noſtræ. Remiſſionẽ itaq; offenſæ, & iniuriæ nobis à proximis illatæ, remiſſionis, & gratiæ in ignoſcentia offẽſæ erga te noſtræ, teſtimoniũ eſſe voluiſti. Dixiſti enim, petite & accipietis: date & dabitur uobis: remit

EPh. 4.

Pſal. 22.

5458

mittite, & remittetur vobis. Si dimiseritis hominib⁹ errata sua, remittet et uobis cœ-
Mat. 6. lestis pater, errata uestra. En te iubente petimus, damus, remittimus, & noxã condo namus, ijs qui nos leserũt, quiq; dicto uel facto contumelioſius, aut inhumanius nos tractarũt: remitte & tu pater debita nostra: nam certa nos habet fiducia, apud te nos exauditos iri, debitaq; nobis tua gratuita bonitate, & gratia condonari, quib⁹ hęc signa, & testimonia, de tua erga nos gratia, & debitorũ remißione, contuliſti: Vſq; adeo diues es in misericordia, ut de miserationũ tuarum prędiuiti copia, affatim gratiã des, & gratiã pro gratia. Pro qua tua gratia, pater & bonitate, quæ est immẽ sa, & infinita: inter cetera debita quæ tuo nos reddũt iudicio obnoxios, & hoc nobis debitũ remitte, quòd tuo iußù, ex animo sicut debemus, offensam proximis, haud remittim⁹: et charitatis tuæ nos incẽde flam-

mis, qua propter te, vti nos decet ex animo, remittere valeamus. Quãdiù hoc mortale corpus circũferimus, ſic luctatur caro aduerſus ſpiritũ, & ſpiritus aduerſus carnẽ, ut non quæcũq; cupimus, volumuſq;, eadẽ faciamus. Grauiſſima tentatio eſt, & pene inſuperabilis, vbi uel in fortunis, uel in corpore, aut fama, lædimur á proximis: infirmitas carnis haud patitur, ut ſtatim nos offendẽti noxã cõdonemus. Multa ſolẽt ĩdies accidere quæ fraternæ charitatis ſerenitatẽ obnubilãt, eã prorſus extinctura, niſi tua clemẽtia debita ꝓdonares, et periclitãti bº tua gratia ſuccurreres. Imo quæ ſubĩde oriũtur diſſidiorũ occaſiones, pacẽ, et cõcordiã ſic lędũt, et obturbãt, ut nos decẽtalẽtorũ tibi debitores, eaq; remitti poſtulãtes, vix ntis deditoribº quadrãtẽ remittamº. Tu itaq; pater benigniſſiẽ, ex quo oẽ donũ bonũ et perfectũ, qui carnaliũ parentũ affectũ, (qui liberis ſuis, ouum, panem, aut

5458

Mat. 7. piſcem petentibus, lapidem, ſcorpionẽ, aut ſerpentem, non ſolent porrigere) tua erga nos beneuolentia, & affectu vere paterno, longiſſimo ſuperas interuallo, pro tua bonitate, & miſericordia, da patientiã, da charitatẽ, gratiamq; tuam nobis impertire, et ſpiritum amoris, quo ex animo poſſimus, iniuriam nos offendenti remittere: quatenus hoc teſtimonio certiores, ac confirmatiores, de tua erga nos indulgentia reddamur. In grauiſſimis iſtis tentationibꝰ, quibꝰ uiri alioqui pïſſimi ſolent impediri, ne offẽſam ex animo remittant, (ut euenire ſolet, dum uel necatur filius, frater, aut parens, dum eruitur oculus, amputatur manus, eripitur poſſeſſio, uel alia quæuis atrox infertur iniuria) noſtræ imbecillitatem nature, & infirmitatem agnoſcentes, atq; innatam hanc noſtram malitiam, & ad iniuriam retaliandam propenſitatem, deplorantes, ob-

nixe

nixe rogamus, pro tua ineffabili bonitate, quatenus ſpiritum impertiaris, quo remittere ex animo poſſimus. Nam iraſcentes, & vindictam meditantes, nobiſmetipſis etiam iraſcimur, duplici nomine: tum quòd iubenti tibi, ut noxam proximo remittam⁹, per infirmitatem carnis, nequeamus obtemperare, tumquòd excãdeſcentes in fratres, te ſimul offendimus, qui iuſſiſti ut prõximũ diligamus, haud ſecus atq; noſmetipſos, ingratum tuis oculis oſtendens, quicquid offertur, niſi facta prius fuerit cũ fratre reconciliatio. Nos itaq; vindictam aliquãdo meditantes, ſimul optamus cupidiſſime, ea nos donari gratia, qua, omni ira depoſita, ſyncere, & ex animo, proximis ignoſcere valeamus. Gratiam itaq. tuam non abiſcimus, non aſpernamur, ſed gratiam, & remittendi ſpiritum, nobis dari cupimus, & ex te ſerio flagitamus domine, deus, pater benig-

Mat. 5.

5458

benignißime. Tu qui parentis, illius filij lunatici (qui ab immũdo ſpiritu diuexabatur) preces non deſpexiſti, ſed exaudiſti: qui filio petenti ſanitatem, ac ut a demonio liberaretur, et exaudiens, ſi poßit credere, credenti omnia fore poßibilia, reſpondit, adauge mihi fidem, adiuua incredulitatem meã: illam fidei infirmitatem non deſpexiſti, ſed auxiſti, confirmaſti, et a demonio liberans, ſanaſti filium. Tu pater noſter in cœlis benignißime, qui es heri, & hodie, & cras, & ante ſecula, & in ſempiternum, idem miſericordiæ pater, & conſolationis deus, infirmitatis noſtræ rationem habens, tamet ſi vindictam meditemur, modo ne tuã interim gratiam aſpernemur, ſed noſtram deplorantes miſeriam, & prauitatem, pacis, & concordiæ ſpiritum deſideremus, infirmorũ preces non auerſaberis, ſed exaudies pro tua bonitate. Et quemadmodũ parenti illius

Mar. 9

lu-

lunatici filij, auxisti fidem, & confirmasti: ita & nobis gratiã, & benedictionẽ flagitantibus, patientiam, & charitatem es adaucturus, & pacis spiritũ nobis daturus, pro tua misericordia. Remitte nobis debita nostra, sicut remittimus, et sicut per tuã gratiam remittere cupimus (in hunc modũ precari potest, quẽ ꝓpter atrocem iniuriã sibi illatam, nimium vlciscendi vrget cupiditas) cõdona quod debem⁹, & da quod exigis: quoniã vtrũq; potis es dare, quia pater es misericors, et deus oĩpotens. Illis autẽ q iracũdia, maleuolentia, & vindictæ studio æstuantes, gratiã sibi dari, & spiritũ quo queãt ignoscere, nec cupiũt, nec expectãt, quid profutura sit oratio nõ ĩuenio: quoniã sine fide orant, sine qua tibi placere nõ possũt. Vt illi quæ tuæ bonitatis, ac mãdati, suæq; in te offensæ maiorẽ quàm iniuriæ à proximis illatæ rationem habentes, Heb. 11.

prop

54.58

propter te, ex animo noxam condonare ſtudent, ſanctiſsime, & fœliciſsime orant, illorumq; deprecatio, tibi eſt gratiſsima, & tanq̃ holocauſtũ acceptatiſsimũ, in conſpectù tuo, ſuauiſsimæ fragrantiæ odorem ſpirans: & ſicut illi qui ex animo per infirmitatem carnis, & iniuriæ atrocitatem, nequeunt remittere, gratiam tamẽ & ſpiritũ quo queant remittere, optãt, petunt, expectant, non inutiliter, neq; inefficaciter orãt, quòd tandem ſpiritum, & gratiam, quam expectant, pacis, & concordiæ ſis daturus: ita & illi qui inuidia flagrantes, & ulciſcẽdi ſtudio æſtuantes, gratiam, & ſpiritũ ſibi dari quo queant ignoſcere non cupiunt, ſed aſpernantur, negligunt, reĳciunt, imo potius quàm iniuriam non ulciſcantur, te deũ, & dominum non eſſe, aut cœlo deturbatum eſſe malunt: quòd ſine fide, & cum tui orant contumelia, infœliciſsime orant: uerba

ba precationis huius recitantes, tuam potius maiestatem rident, blasphemant, maledicunt, & sibi precantur exitium, q̃ orant. Patrem te uocat, cuius non vult esse filius: tuum petit nomen sanctificari, quod blasphemare pergit: & regnũ ut adueniat, qui dissentionis, quàm pacis malit esse filius: & tua ut uoluntas fiat, cui resistit, imo resistere pergit: quãdoquidẽ tua uolũtas est, ut iniuriam remittentes, proximos ex animo diligamus ut nosmetipsos. Is panem sibi dari petit, & item illis, quibus optat exitiũ (qui iuxta formam, quã prescripsit filius, orat, sibi, & item omnibus panem dari postulat) & dicens remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitorib⁹ nostris, quid aliud, q̃ exitiũ sibi his uerbis imprecatur? ac si dicat nos nostris debitoribus, remittere nolumus, ideo nec tu remittas nobis debita nostra: quód hi sine fide per dilectionẽ effi-

5458

efficaci (cum sint à charitate, & gratia alieni) infideliter orant, grata tibi non est illorum deprecatio. Nos autem te oramus pater, sicut nos docuit filius, remitte nobis debita nostra, sicut te iubẽte, ex animo remittimus, ijs qui nos offenderunt, debitoribus:

¶ Fœlix is est, qui propter deũ omnẽ deponit irã, et ex animo ignoscit fratri, deoq; grata est eius deprecatio. Si quidẽ per infirmitatem carnis et iniuriæ atrocitatẽ, remittere nequeam⁹, (quòd uel famã proximus obnubilarit, aut possessionẽ eripuerit, aut parentes, & nobis alioqui charos interemerit) si tamen viciatæ prauitatem naturæ, ac malitiam deflentes, gratiam, & spiritũ concordiæ dari cupiamus, quo ualeamus ignoscere, si in hunc modum precemur, & pulsantes in oratione perstiterimus, non repudiabitur, quin potius (ut dixi) exaudietur deprecatio: quia non contra formam oran-

di

di prę ſcriptam á domino, ſed potius ſecundū eā concepta videtur. ¶ PATER noſter qui es in cœlis, pater inquam miſericordiæ, atq; omnis conſolationis deus benigniſſime, pro tua inexhauſta miſericordia, & propter vnigenitum filium remitte nobis indignis, ingratis, debita noſtra, ſiquidem & nos iuſſui tuo obtemperantes, debitoribus noſtris remittimus, aut ſaltem (ſi nimium vrgeat tentatio) tua gratia auxiliatrice remittere cupimus, eamq; nobis dari, qua valeamus ignoſcere, obnixe poſtulamus: infirmi ſumus, haud ſufficientes ex nobis ad cogitandum aliquid boni, tanquàm ex nobis, nedum ad perficiendum quod exigis. Tu itaq; pater noſter cœleſtis, ex quo omne bonum noſtrum, atq; omnis noſtra ſufficientia, infirmitatem noſtram corrobora, & tuo ſancto ſpiritù nos confirma: adauge fidē, ſpem, pati-

5458

efficaci (cum sint à charitate, & gratia alieni) infideliter orant, grata tibi non est illorum deprecatio. Nos autem te oramus pater, sicut nos docuit filius, remitte nobis debita nostra, sicut te iubēte, ex animo remittimus, ijs qui nos offenderunt, debitoribus:

¶ Fœlix is est, qui propter deū omnē deponit irā, et ex animo ignoscit fratri, deoq; grata est eius deprecatio. Si quidē per infirmitatem carnis et iniuriæ atrocitatē, remittere nequeam⁹, (quòd uel famā proximus obnubilarit, aut possessionē eripuerit, aut parentes, & nobis alioqui charos interemerit) si tamen viciatæ prauitatem naturæ, ac malitiam deflentes, gratiam, & spiritū concordiæ dari cupiamus, quo ualeamus ignoscere, si in hunc modum precemur, & pulsantes in oratione perstiterimus, non repudiabitur, quin potius (ut dixi) exaudietur deprecatio: quia non contra formam oran-

di

di pręscriptam á domino, sed potius secundũ eã concepta videtur. ¶ PATER noster qui es in cœlis, pater inquam misericordiæ, atq; omnis consolationis deus benignißime, pro tua inexhausta misericordia, & propter vnigenitum filium remitte nobis indignis, ingratis, debita nostra, siquidem & nos iußui tuo obtemperantes, debitoribus nostris remittimus, aut saltem (si nimium vrgeat tentatio) tua gratia auxiliatrice remittere cupimus, eamq; nobis dari, qua valeamus ignoscere, obnixe postulamus: infirmi sumus, haud sufficientes ex nobis ad cogitandum aliquid boni, tanquàm ex nobis, nedum ad perficiendum quod exigis. Tu itaq; pater noster cœlestis, ex quo omne bonum nostrum, atq; omnis nostra sufficientia, infirmitatem nostram corrobora, & tuo sancto spiritù nos confirma: adauge fidẽ, spem,

pati-

5458

patientiam, charitatem. Emolli quęſumus, emolli ſaxea noſtra pectora, cordaq; adamante duriora flecte: lapidea iſta, & implacabilia tolle pectora, repone mollia, placabilia, carnea, obedientia, amantia, propter eum qui pro nobis redimẽdis, & reconciliandis, factus eſt caro, tibi obediens ad mortem crucis. Frigida hęc noſtra corda, inuidia, liuore, tabeſcentia, tuæ charitatis incende flammis, ut tua gratia ualeam⁹ errata fratribus remittere, & condonare: ut inter nos concordes, vnitatem ſpiritus in uinculo pacis obſeruantes, te placatum, & nobis propitium patrem ſentiamus. Remitte nobis debita noſtra pro tua inexhauſta bonitate, ſicut nos egeni, miſeri, infirmi, remittimus debitorib⁹ noſtris pro modulo infirmitatis noſtræ. Remitte nobis, ſicut nos, eccleſia tua (cuius mẽbra ſumus) ſponſa tibi dilecta, debita remittit. Nam & nos, cũ

om-

omnibus, & omnia ecclesiæ tuæ mẽbra nobiscum orant, ut nostra nobis debita remittas: cui⁹ ecclesiæ tuæ caput est Christus filius ṽnigẽitus, in cuius nomine te oramus, qui pro crucifigentibus se, orauit, & nunc à dexteris tuis sedens ĩterpellat pro nobis: tu illum exaudies pro ipsius reuerentia. Remitte nobis sicut nos, ecclesiæ tuæ omnia mẽbra, ṽna cum ipso capite, filio ṽnigenito, debita remittimus: illius dignitatẽ, & obedientiam, non nostrã indignitatẽ respiciens. Remitte nobis pro tua ineffabili misericordia, & infinita bonitate, qui bonorum omnium author es, & fons, summũ bonum, & ipsa bonitas, ipsa misericordia, ipsa charitas (qui ut omnium parentum huiu mundi affectum, et liberalitatem in donando, ita omnem omnium clementiam, & pietatẽ in condonando, & remittendo, benignitate, et indulgẽtia, ĩfinito superas inter-

ual-

5458

uallo) *ſecundum illam tuæ miſericordiæ magnitudinem, & miſerationum tuarum incomprehenſibilem multitudinem, propter filium vnigenitum remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos pauperes, infirmi, miſeri, pro modulo noſtræ infirmitatis, remittimꝰ debitoribus noſtris: & ſicut remittere cupimus, gratiam ex te petentes, & expectantes, qua nobis adaugeas fidem, patientiam, ſpem, & charitatem: ſpiritũq; ut largiaris, te precantes, quò ijs qui nobis debitores ſunt, quiq; nos offenderunt, ex animo remittere valeamus.*

Et ne nos inducas in tentationem,

DOMINE Deus, Pater noſter in cœlis habitans, conditor, inſtaurator, & rector omnium, noſtris ad te clamantium

uo-

uotis annue,& neceßitati proßpice,pro tua clementia. Magna quidem ex te petimus,debitorum cum petimus remißionẽ: nobis tamen quæ petimus uſq; adeo neceßaria,ut ni ſi uotis petentium annueris, neq; te nobis habere patrem, neq; tuum nomen ſanctificare, neq; regni tui ciues eſſe, neq; quid te dignum efficere, quod tuæ reſpondeat uoluntati, neq; panem E tua manu, aut quod nobis in ſalutem, & rem eſſe queat, poterimus accipere. Niſi debita remiſeris inferni vinculis conſtricti, manemus in morte, mortis ſumꝰ,& iræ filij:et plane pditi. Magna petimus, et quibus maiora,nec peti, nec deſiderari poſſunt, debitorũ remißionẽ poſtulãtes, quã conſequũtur iuſticia, ſalꝰ, beatitas, gloria, immortalitas. Nam quos iuſtificas,eos & glorificas. Magna petimus egeni, miſeri, indigni, ingrati, ſed a magno, & per magnum, ab omnipotente, Rom. 8.

per

per eum per quem facta ſunt, & inſtaurata omnia: ab optimo, per noſtri amantiſſimũ: a te pater benigniſſime, qui quod habebas in ſũmo precio dediſti nobis, non parcens filio vnigenito ſed illum tradens pro nobis redimẽdis: per eundem, qui pro inimicis tibi reconciliandis, tuæ obſequens uoluntati, ſemetipſum tradidit hoſtiam, ſacrificium factus obediens ad mortem crucis. Et ſi longe maxima ſunt quæ petimus, ea tamen nobis ad ſalutem haud multum profutura ſũt, ſi tentationi nos commiſeris indefenſos: ſi militantibus, & cũ hoſtibus confligentibus, manum ſubſtraxeris, ſi periclitantibus non adfueris. Niſi a partibus noſtris ſteteris, ac nobiſcum, & pro nobis, manum cum hoſtibus conſerueris, niſi tua nobis auxiliatrice dextera ſubueneris, ab hoſtibus ſuperati, in eadem debita, & deteriora ſcelera, ac magis nefaria, facile prola-

be-

bemur: & fient nobis nouiſſima, prioribus peiora. Te obſecramus itaq; pater pro tua clementia, ne inducas nos in tentationem: ne tentationis tam graui periculo nos committas, tuo auxilio deſtitutos. Ea eſt enim noſtra infirmitas, ut niſi te protectore, aduerſus hoſtium tam potentium, tantam vim, cum quibus confligimus, ſubſiſtere nequeamus. Niſi tuearis, & nos defendas, actum de nobis erit. Tota hec uita noſtra aliud nō eſt, quàm mo[illegible]ta ſuper terram militia, & inſtar cuiuſdam valli, quo concluſi, & perpetua obſidione cincti tenemur, ubi non datur eruptioni locus: aduerſantium vltro, citroq; telis obiecti, & periculis ſemper expoſiti. Neq; cum vno tantum aduerſario nobis eſt negocium, ſed cum multis: cum carne, mundo, & diabolo: ac illorū copijs, mẽbris, & ſatellitibus, qui ſūt innumeri. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſubinde

ad

5458

ad defectionem, ad mandatorum tuorũ trãſ greſſionẽ, ad peſſima, & ſordidiſſima quæq; ſolicitans: hoſtis nobis eſt domeſticus, quẽ perpetuo circumferimus, quemq; exuere, deponere, eiuſq; inſultationes euitare non poſſumus, donec litem mors dirimat: tanto periculoſior hoſtis, quanto familiarior, eòq; familiarior, quòd intimus ſit, & perpetuus. Mundus vndiq; nos circumſtans auaritiæ, ambitioni, libidini, & impiſſimis quibuſq; rebus pellicit, (omne quod eſt
1 Io. 2 in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut faſtus uitæ) ut nos loco, quo ſumus a te conſtituti, & ſtatione demoueat. Satan malorum omnium author, non dormit, noctes, & dies obambulans, perpetuis nos inſidijs aggreditur, & ex occulto variijs nos technis, & artibus aggreditur, ut ſecum nos pertrahat in exitium: Cui caro, & mundus applaudunt

dunt, & consentiunt, quòd ad ea solicitat, quibus delectantur maxime. Hostis est nobis tanto formidabilior, quanto occultior, quanto potentior: de cuius potentia loquẽs tuus apostolus. Non est nobis inquit colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed Ep. 6. aduersus principatus, & potestates aduersus mundi rectores, tenebrarum harum, contra nequicias spirituales, in cœlestibus. Non de terrenis, & rebus caducis, & fluxis, in hoc conflictu agitur, sed de rebus cœlestibus, ut nos deturbent, excludant, priuent, iusticia, salute, patria, vita, immortalitate, & regno cœlesti, Hi tres hostes cum vniuersis suis copijs, & occultis insidijs, & aperto marte, in dies nos adoriuntur, perniciem nobis, & interitum molientes: nobisq; insidiantur, & a dexteris, & á sinistris: a dexteris, blandiciis, & rerum prosperarum falsa

dul

5458

dulcedine: a ſiniſtris, minis, & terriculis, omnem mouentes lapidem, quò uel proſperis inflati, & ineſcati, te negligamus, & contemnamus: uel aduerſis fracti in deſperationem coniiciamur, atq; animos deſpondeamus. Horum tam potentium hoſtium inſultationes, & vim ferre non poſſumus, niſi tua manu potentiſſima, ſuccurras pater benigniſſime. In noſtra infirmitate deficientes, in tua uirtute ſubſiſtemus. Rogamus itaq; te pater, ne nos inducas in tentationem, ne tentationi nos committas indefenſos. Si is qui tentat nos fuerit aggreſſus, qui ſeruum tuũ Iobum, & filiũ etiam tuũ, ſuis technis aggredi non eſt ueritus: tu pugna pro nobis deus noſter. Nos noſtris plane viribus diffidentes, in tua potentia, & bonitate, cõfidimus domine. Dum recordamur Saulem electum prius in regem, ut inter iſraelitas optimum: & poſtea a te reiectum. Et Dauidem

1 Re. 9
1 Reg. 15.

dem, qui dictus est vir secundum cor tuum eò turpitudinis dilapsum, ut homicidiũ adulterio copularet: & cum Salomonis reminiscimur, quem ultra omnes homines donasti sapientia, qui tamen eò demẽtiæ protractus est, ut te relicto, peregrinis immolaret simulachris. Cumq; petri recordamur apostolorum tuorũ primi, qui licet paratum se dixerat, qui cum filio mortem oppeteret, ad uocem tamẽ ancillæ eum abnegauit: virtuti nostræ, & viribus, fidere non audemꝰ: non possumus non horrescere, dum periculi in tentatione recordamur, cui ne nos cõmittas indefensos, precamur domine: quoniã si nos indefensos deserueris, peribimus. Si fueris auxiliator, & á nostris tu partibꝰ steteris in certamine, tuo freti prẽsidio, aduersus omnẽ tentationis procellã, infractis animis consistemus: scientes aduersarios quoscumq; nihil in nos posse, nisi qua-

Act.13. 2Re.11 .3Re.3. 3Re.11. Mat. .10.

5458

tenus tu permiſeris. Cũ itaq; hoſtes noſtri callidiſſimi ſint, validiſſimi, perpetui, quotidiani, dolis, technis, & malis artibus in perniciem noſtrã inſtructiſſimi: nos autem imbelles, imbecilles, & infirmi, tuo nobis opus eſt brachio, alioqui confundemur. Si nos itaq; in tentationẽ induxeris, ſi periculo tentationis expoſueris, omnẽ tuã armaturam nos induito, ut poſſimꝰ aduerſus tam
Eph. 6 potentes aduerſarios ſtare. Balteo ueritatis lumbos circumcinge: iuſticiæ thorace, nos munito: Da ſcutũ fidei inexpugnabile, quo poſſimus omnia Iacula mali illius ignita extinguere: & gladium prebeto ſpiritus, quod eſt uerbum tuum, quo noſtros expugnemus inimicos, carnem, mundũ, & ſatanam, cũ ſuis mẽbris, & ſatellitibus, ut ſit nobis inſtar ignis conſumẽtis, et inſtar mal
Hie. 23 lei conterentis petram. Hoſtes potentiſſimi ſunt, nos autem infirmi: ne nos itaq; pa-

ter

ter in ducas in tentationem. Non petimus ne nos tentes, neq; petimus, ne ullas tentationes ſentiamus, ſed ne tentationi ſatanæ, mundi, & carnis nos committas ope tua deſtitutos. Quos tu tentas, ad emendationem, ad ſalutem, & uitam illorum, tuam autem gloriam, tentas: ſiue á dextris tentaueris, dans proſpera, ut tuis prouocati beneficijs, tuam prędicent beneficentiam: teq; laudantes, in officio, & obedientia contineantur: ſiue à ſiniſtris, afflictiones immittens, & aduerſa, uel ad emẽdationem, uel ad probationem, ut electorum tuorum ſpectatam reddas, & probatam fidem, ſpem, charitatem, patientiam: non ut perdas, ſed ut nos ſerues, exerceas, & bees: quo modo tentaſti Abrahamum: filios Iſraelis: prophetas tuos, & Apoſtolos. Omne gaudium debemus exiſtimare, cum huiuſmodi inciderit tentatio, tibiq; ex animo grati- Ge. 22. Deu. 8.

5458

as agere, scientes, quòd tentatio parit probationem, probatio uero fidei nostræ, patientiam operatur, patientia uero, ut opus perfectũ habeat. Hoc enim modo tentari prodest: quia sicut uasa figuli probat fornax,

.Iac.1.

Ec.27

ita homines iustos tentatio tribulationis. Quos tu tentas, non in ruinam ut perdas, sed in salutẽ tentas, ut serues: & eos quos affligis, & eos qui afflictorum patientia, et fide roborantur, & confirmantur. Satan, contra: ut prosperis abutens intumescat, & infletur homo: ut sui, & tui oblitus, & te contemnat & sese perdat. Aduersa autem, non ad emendationẽ, ad probationem, & patientiæ exercitationem, ut accipiat, tanquàm a propitio, & benigno patre, immissa: sed uelut a crudeli, & inexorabili tyranno, ut in desperationẽ coniiciat. Illius mali furori, & libidini, ne nos permittas domine. Non oramus ne tentemur, nèue ullã

sen-

ſentiamus tentationem: quoniam militia uita hominis eſt ſuper terram: & quod momẽtaneum eſt tribulationis noſtræ, pondus gloriæ immẽſum parit: caſtigas enim omnẽ filium quem diligis: & qui extra diſciplinã eſt, germanus non eſt, ſed ſpurius. Quare te rogamus pater, ne ob noſtram ingratitudinẽ, qui toties, & tam enormiter tuã offendimus maieſtatem, uſq; tamẽ, & uſq; in gratiam recepti, in tentationibus nos indefenſos relinquas: ne ab hoſtibus nos tentantibus opprimamur, & victi ſuccũbamus: ſed ut tua nobis dextera ſubuenias, periclitantibus. Cũ omnibus itaq; ſanctis, in his terris, oramus, & obſecramus te, O Pater noſter qui in cœlis es, in hoc tam graui certamine, cum tot hoſtibus, tam potentibus, ſuccurre nobis, licet rebellibus, licet ingratiſſimis. Ne pro noſtra nobiſcũ agas impietate, & ingratitudine, ſed pro

.Iob.7.

2 Co.4.

He.12.

tua

5458

tua bonitate: & remitte nobis debita nostra, secundum magnam misericordiam tuã sicut et nos remittimus debitorib⁹ nostris, & ne nos inducas in tentationem. Ne tentationum periculis nos committas, ne tanquàm inutilia, & uasa iræ ignominiosa, pro abiectis, próq; derelictis habeas, tanquàm prędam aduersariorum furori, & libidini expositam. Si quidẽ reliqueris indefensos, prẽsto aderunt hostes illi ualidißimi, ut infirmos, & tam acri bello haud idoneos, rapiãt, deuorent, perdant, occidant. Nisi tua subuenias bonitate, perimus funditus. Domesticum hunc hostem nostrum edoma, quẽ circumferimus, carnem, spiritui perpetuo reluctantem, ne ad pessima quæq; suadens, dominetur: incitamenta fædæ uoluptatis reprime, extingue, ne ad impium, aut sordidum quid patrãdum nos alliciat. Da ut

Cole. 3. omnia carnis desideria, uincamus, mortifi-

cemus, & Christi filij tui cruci affigamus: ut posthac non nobis viuamus, sed tibi pater, qui pro nobis filium dedisti ad mortem crucis. Mundi in perniciem nostram blandientis illecebras, fraudesq;, fac irritas, ne ad auariciam, ambitionem, libidinem, fraudem, iniuriam, vim, & impietatem nos impellat. Mundi item sæuientis, atq; impiorum hominum, terricula, minas, & audaciam reprime. Da in prosperis modestiam: in aduersis fortitudinem, & patientiam, fidem, charitatem, & spem. 2 Co. 5.

¶ DA in tentatione fœlicem euentum: neq; ultra tentari nos sinas, quàm possumus sustinere. Da ut æquis animis accipiamus, quæcumq; tua nobis immittit prouidentia, siue læta: ne insolentius nos geramus: seù aduersa sint, ne murmuremus, aut impatientius feramus: sed pro omnibus, tanquám a tua bona 1 Co. 10.

5458

uoluntate profectis, gratias indesinenter agamus. Pugna tu pro nobis, qui es scutũ in te sperantibus, robur, virtus, fortitudo, & propugnaculũ, aduersus illum malũ, malorum omnium authorem, diabolũ, (qui tan
1.Pe.5. quám leo rugiens noctes circuit, & dies, mille dolis, mille nocendi artibus, quærens quem deuoret : nihil in uotis habens prius, nisi ut nos secum pertrahat in exitium) ne quid aduersũ nos ualeat. Hoc enim ℣ certo habemus, non posse eum quidquám aduersũ nos nisi quatenus tua permittit æquitas, & iusticia. Illius itaq; mali technas detege, dolos fac irritos, fraudes illude, machinas comminue: frange vires: consilium dissipa: conatus, vim & imperium euerte. Tu regni suscipe gubernacula, ĩimicos conterens, & conculcans pedibus. Tu itaq; regnes super nos, dominus deus, rex, victor, & triumphator. Atq; in omni tentatione, tribu-

lati

latione, neceßitate, et periculis quibuſcũq́;, & vndecũq́; eueniant, ſuccurre nobis auxiliator, liberator, & ſeruator, pater in cœlis benignißime, pro tua inexhauſta bonitate, ſecundum magnam miſericordiã tuã, propter filium vnigenitum in cuius nomine petentes nuncq̃ auerſaris.

Et libera nos a malo.

DOMINE Deus rerum omnium conditor, moderator, & Rex, quæq́; in cœlis, quæq́; in terris ſunt, uiſibiliũ, et inuiſibilium: infirmam noſtram humilitatem, humillimã infirmitatem reſpice: atq́; nobis aduerſantium uires, potentiam, dolos, tyrannidem, & inſidias expende. Validi, potentes, inſtructi, callidi, aſtuti ſunt, nos imbecilles, & infirmi. Ne nos itaq́; inducas

in

5458

in tentationem: ne nos tam periculoſo certamini committas indefenſos. Si confligendum nobis fuerit, nobiſcum belli periculum inito, & pugna pro nobis domine deus noſter. Ne in tentatione, & prelio nos deſeras, ſed libera nos á malo. Libera nos ab illo malo, malorum omnium principe, inuẽtore, & authore, Diabolo: qui non ceſſat noctes, & dies obambulans, tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. Libera nos á malis omnibus, quæ nobis ille malus ſtudet inferre, ſiue per carnis concupiſcentiam, ſiue per mundum ſæuientẽ, aut blandientem. Libera nos á mellito rerum proſperarum veneno, & ab amaro rerum aduerſarum abſynthio, quibus uel ineſcare, uel deiicere, mentes hominum conatur, ut a te deficientes, ſuis laqueis teneat irretitos, quò ſecum trahat in exitium. Nam quæ tua bonitas electis ſolet immittere, ad illorum

1 Pe. 5

ſa-

ſalutem, & tuam gloriam, ſiue proſpera ſint, ut bona corporis valetudo, pax, tranquillitas, frugum vbertas, ut tua nobis innoteſcat benignitas: & tibi gratias pro tua agamus beneficentia: Siue aduerſa, cuiuſmodi ſunt valetudo corporis infirma, paupertas, egeſtas, vincula, carcer, exilium, bonorum direptio, crux, & afflictio, ut tua paterna nobis innoteſcat cura, viſitatio, correctio, ad emendationẽ, probationem fidei, & confirmationẽ: his tuis donis, & beneficijs, ut in perniciem noſtram abutamur, technis, dolis, inſidijs, laborat Satan, ac nullum non mouet lapidem, quo & noſtri, & tui obliti, uel in proſperis, ſic inſolentes ſimus & inflati, alioſq; prę nobis contemnentes, ambitioni, auaritiæ, ebrietati, ſcortationi, & turpiſſimis quibuſq; libidinibus, nos dedamus:

aut

5458

aut in aduerſis deſpondentes animos, & noſtræ ſaluti, & de tua miſericordia deſperemus. ab his malis libera nos domine: Libera nos pro tua miſericordia ab omni malo, tum corporis, tum animæ. A fame, peſte, grauiori morbo, a bellis, ſeditionibus, tumultibus, bonorum direptione, latrocinijs: quẽ dediſti nobis panem ad huius uitæ ſuſtentationem conſeruato: libera nos domine ab iniquis hominibus, a lingua doloſa, à mundi blandientis illecebris, & terriculis ſæuientis, a libidinoſis carnis voluptatibus, ab omnibus aduerſitatibus, & ſatanæ machinis, & inſidijs, quibus molitur gradù nos deijcere, & opprimere, ut nos ad impatientiam, aut diffidentiam pertrahat. Non petimus ex te pater ne ullas omnino aduerſitates ſentiamus, nèue corripias nos, & caſtiges afflictionibus: ſed ne aduerſitatibus, et afflictionib⁹ obruamur,

obruti deſpondeamus animos, deſperantes
a te deficiamus. Non te rogauit filius, ut
nos tollas de mundo, ſed ut ſerues nos a ma Io.17.
lo. A malorum itaq; omnium principe, dia
bolo, & ab omnibus quæ illius dolo oriri
poſſunt malis, libera nos domine. Tua domi
ne correptio ut eſt ſalutifera, ita grata no-
bis, & accepta eſſe debet. Quem diligis,
corripis. Quando nos caſtigas, (flagellas
omnem filium quem recipis) tanquam filijs Heb.
te nobis offers. Sanctiſſimi quiq; ab homi- .12.
ne condito ad finem mundi afflictiones pa-
tiuntur. Qui pie volunt uiuere in Chriſto 2 Ti.3
IESV (tuus inquit apoſtolus) perſecutio-
nem patientur: quòd per multas tribulatio Luc.
nes, nos oporteat intrare in regnum tuum. .24.
Qui compatiuntur, ſimul & conglorifica- Ac.14.
buntur. Nobis itaq; gloriandum eſt in tri- .Ro.8.
bulationibus, quód tribulatio patientiam Ro.5.
operetur, patientia probationem, probatio Iac.1.
ſpem,

5458

ſpem, ſpes non confundit. Si alieni ſumus â caſtigatione, cuius participes ſunt omnes, ſpurij ſumus, non filij: tauquám aurum in fornace, electos probare ſoles.

He.12 tametſi omnis caſtigatio, in preſens non uidetur eſſe gaudij, ſed moleſtiæ, poſtea tamen tranquillum reddit iuſticiæ fructum, ijs qui per illam fuerint exercitati. Non

Ro.8 ſunt enim condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram illam gloriam, quæ reuelanda eſt nobis. Non precamur itaq; ne, ullis nos aduerſitatibus, & afflictionibus, inuiſas, caſtiges, aut corripias: ſed ne dolo illius mali, (qui in perniciem noſtram ſemp ſtruit inſidias, quiq; id quod in ſalutem tua immittit bonitas, ſemper in exitium nobis conatur uertere) grauioribus afflictionibus, & aduerſitatibus preſſi, fracti, debilitati, per impatientiam, diffidentiam, uel deſperationẽ, a te deficiamus: ne uel proſpe

ſperis, elati, & inſolentes, ad ſecuritatem, rebellionem, arrogantiam, ambitionem, auaritiam, libidinem, ſeu ad quidpiam perpetrandum, quod nos a fide, dilectione, aut tui reuerentia, queat amouere, ſolicitemur. Non recuſamus affligi, cum in hoc tua erga nos pietas eluceat: dum per externas afflictiones, ueluti per amara pharmaca, interiorem ſanas hominem: & per moleſtias temporarias, nos pręparas ad gaudia ſempiterna. Cumq; filius tuus vnigenitus, pro nobis longe grauiora eſt perpeſſus: pro nobis inquàm longe amariora commeritis, qui toties meruim⁹ gehẽnam. Verum natura hec noſtra & cõditio, tam eſt fragilis, et infirma, ut, niſi tua ſuccurras gratia, hęc tam moleſta naturæ, æquo animo ferre non ualeamus. Tu itaq; clemẽtiſſime pater, inſtar benigni illi⁹ ſamaritani, de quo loquitur filius, ſauciatæ nature vulnerib⁹ infundens uinum, Luc.10

uicia noſtra mordens, ſimul adde & oleum tuæ conſolationis, quò quæ alioqui intolerabilia ſunt, toleremus. Modo ne nos abdices, ne exhęredes, ne æternum abs te ſepares, ne conijcias in gehennã, affligi pro tua bona voluntate, haud recuſam⁹. Si tuæ uiſum fuerit paternæ voluntati, acerbius caſtigare, & tribulationem, & dolorẽ augere, auge quæſumus, & donum patientiæ. Sin viſum fuerit his nos moleſtijs liberare, fac nobiſcum pro tua benignitate. In proſperis, fac modeſtos, in aduerſis fortes, & patientes: vt cum proſpera, tum aduerſa, æquis accipiamus animis, cum ea qua decet reuerentia, & gratiarum actione: tum quòd inutiles ſeruos, et ultimo ſupplicio dignos clementer emendaris: & quòd afflictionis amaritudinem conſolationis dulcedine, ſuſtuleris: illic neceſſitatis, hic infirmitatis noſtræ rationem habens. Libera

nos

nos cœleſtis pater pro tua ĭeffabili miſeri-
cordia à malis animę ſpiritualibus: a pecca
to nè in nobis regnet, nè dominetur, nè ite-
rum inter nos diſsidium pariat: nè relaba-
mur ęo per malitiam noſtrã, & imprudẽti-
am, vnde ſumus á tua clemẽtia, ad thro-
nũ miſericordiæ tuæ reuocati, & in gratiã
recepti. Libera nos domine ab infidelitate,
diffidentia, tui numinis neglectù, contemp
tù, a deſperatione, ab hypocritica ſanctĭ-
monia, ſpecie religionis, & ueritatis oper-
ta, ab hæreſibus, erroribus, praua doctri-
na: a deiurĭjs, periurĭjs, blaſphemĭjs, ab am
bitione, irreuerentia, pertinatia, ab ira, o-
dio, liuore, contentione, cędę, iniuria, con
tumelia, ab adulterio, ſcortatione, ſtupro,
ab omni ĭmmũditia, impudicitia, laſciuia,
ab auaritia, furto, rapina, fraude, dolo, &
vi, & rerum alienarum concupiſcentia, à
mẽdatio, ſimulatione, detractione, ab omni

5458

iniquitate, & ſpecie mala, quæ te nobis in-
ſenſũ, & iratum, & nos tibi inuiſos quea
reddere, libera nos domine. Dirige greſſu
noſtros ꝑ ſemitas iuſticiæ, ut caſte, pureq́
viam mãdatorum tuorũ percurrentes, qu
laudetur in nobis gloria gratiæ tuæ, curſi
noſtrũ in integritate fidei, & morũ ſynce-
ritate, fœliciter conſũmem⁹. Da ut cum
hoc iter noſtræ peregrinationis in hac via
lubricoſa abſoluerimus, horaq́ illa nouiſſi-
ma aduenerit, qua ex corporibus diſſoluẽ-
tur animæ, non inuiti ſed alacres ac luben-
tes, ex hoc miſerabili exilio, ex hac mor-
tali vita, tot erumnis, & calamitatibus
obnoxia, tot periculis expoſita, in veram
illam uitã geſtiamus emigrare, quam prẽpa
raſti diligẽtib⁹ te: nè mortis metù territi,
deſpondeam⁹ animos, ſed tuæ miſericordiæ
fiducia ſpirit⁹ noſtros in manus tuas alacri
ter commẽdemus, diſſolui magis cupientes,

& tecũ eſſe, q̃ mũdi huius, miſeria, iniquitate, atq; omniũ ſcelerũ, & viciorũ genere referti, periculis, vndis, et tempeſtatib⁹ exponi. Libera nos pater, pro tua inexhauſta miſericordia, ab illo malo malorũ oĩm authore, & principe, diabolo, ab illius dolis, technis fraude, vi, & tyrãnide, ac ab omnibus eius mẽbris, et ſatellitibus, qui nob is puſillo gregi tuo, inteſperãti, inſidias, bellũ, calũniam, & perniciem ſtruunt. Illorũ frange vires, funde copias, potẽtiã cõminue: quoniã in nos non poßũt quidq̃, niſi tu permiſeris. Ab illorũ itaq; tyrannide, maliſq; oĩbus, quæ aduerſũ nos moliũtur, pręſẽtib⁹, et futuris, corporalib⁹, ſpiritualib⁹, et æternis, pro tua uirtute, et bonitate, ꝓpter Chriſtũ Ieſũ filiũ tuũ vnigenitũ, dñm, et ſeruatorẽ noſtrũ libera nos pater in cœlis benigniſſiẽ. Magna ſũt quæ petim⁹, quæq; exte nos petere iubet filius. Maiora, vtiliora, ac magis neceſßaria nẽ cogitari quidem

poſſunt. At ter maximus es, ex quo petim⁹, cœlum implens, & terram tuis diuitijs, omnem continens plenitudinem, omnẽ ſufficientiam, rex regum, & domnus dominantiũ.

℣ Quia tuum eſt regnum & potentia, et gloria, in ſecula.

TV ES ILLE Regum Rex, & Dominantium dominus, in cuius manù vitæ, & necis eſt poteſtas, ſupra peccatum, mortem, Diabolum, & infernũ, tenens imperiũ, ac ſup omnẽ principatũ, uirtutẽ, & dominationem, & omne nomẽ quod nominatur, non ſolũ in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: cui flectitur oẽ genù, cœleſtiũ, terreſtriũ, & infernorũ: cui ut non eſt impoßibile omne uerbũ, ita non eſt quod tuæ poteſt voluntati reſiſte

Ap. 1. 3.
Io. 11.
Epb. 1.
Phi. 2.
Eſa. 45
Luc. 1.

re. Si tu decreueris, quis poteſt infirmare? Si manũ extenderis, quis auertet eam? Tuũ conſiliũ ſtabit, & omnis uoluntas tua fiet. Vel hoc vnum tabernaculũ rerũ uiſibilium cœli, ſole, luna, ſtellis, & ſideribus, ornati: orbiũ cœleſtiũ temporũ uiciſſitudine, curſum, motũq; ſuũ obſeruantiũ: aeris, & quæ in eo cernuntur, nubes, pluuiæ, vdum, & ſerenum, grandines, niues, ignea, & diſcurrentia fulgura: maris, eiuſq; acceſſus, & receſſus: fontiũ, fluminum, & aquarũ, & qui in illis naſcuntur, piſces omnis generis: huius terræ, quàm dediſti hominũ filijs inhabitandã, atq; omnis generis ſanimantium in ea: arborũ ſimiliter, & herbarũ, tam diuerſarum ſpecierũ, ac uirtutum: harum inquã rerũ conditarum tabernaculũ, rationabiliũ tuarũ creaturarũ oculis ſubiectũ conſpiciendũ, ut laudetur ab eis gloria potentiæ, et maieſtatis tuæ, quæ in ſeſe ab æterno, et in

Eſa. 14. Eſa. 46.

ſem

ſempiternũ, plena, ꝓfecta, et abſoluta ſemꝑ manet: atq; earundẽ moderatio, ſatis magnũ tuæ maieſtatis, ac uirtutis prebet argumẽtũ. A mũdi huius creatione, ꝑ ea quæ facta ſũt, conſpicitur, & intelligitur, ſẽpiterna tua uirtus, & diuinitas, adeo ut conuincantur oẽs homines, aut volũtariæ ignorationis, aut manifeſtæ rebellionis, et ingratitudinis, ſi uel te ignorent, uel cognitũ non coluerint, & glorificarint: quoniã tuũ eſt regnũ. Cœlum ſedes tua, terra uero ſcabellũ pedũ tuorũ. Tu viuis, & regnas, dominus & rex, & non eſt alius. Quotquot reges ſunt, aut domini, in his terris, tẽporarij ſũt, momẽtanei ſunt, nec diutius regnant, quám tua ſit voluntas. Regnũ tuum, regnum omnium ſeculorum: & dominatio tua ab omni generatione, in omnẽ progenie-em. Tuum eſt regnũ, & potentia, per te reges regnant, & conditores legũ iuſta decer-

Ro. 1.

Eſa. 66
Act. 7.

Pſal. 144.

Sapi. 6.

cernũt. Per te dantur, et trãſferuntur imperia. Deponis de ſede potẽtes, & exaltas humiles. Mortificas, & viuificas, deducis ad inferos, et reducis: pauperẽ facis, & ditas, humilias, & ſubleuas: ſuſcitans de puluere egenũ, et de ſtercore eleuans pauperẽ, ut ſedeat cũ principibus, et ſoliũ gloriæ teneat. Per te regnat, per te ius dicit, per te viuit, mouetur, & ſubſiſtit, oẽ quod eſt. Quia tuũ eſt regnũ, gloriæ, potentiæ, maieſtatis, et imperij, omnẽ poſſidẽs plenitudinẽ. Tu viuis et regnas dominus, & rex, et nõ eſt alius. Itaq; ut de gratia, et benevolẽtia erga nos tua, quia pater es, ita & de potẽtia, quia dñs es oĩpotens, nec eſt q̃ diffidamus, nec eſt q̃ potẽtiſſimi illius aduerſarij noſtri, diaboli, vim, & tyrannidẽ, formidem⁹: quãdo tu nobis a dextris aſtabis protector nẽ moueamur: in oĩpotente brachio tuo nos defendens, & ſub vmbra alarũ nos protegens. Siambulan-

Luc.1. 1Re.2. Act.17 Eſa4

5458

Psal. dum nobis erit in regione vmbræ mortis:
22. si exurgant aduersũ nos prelia, si exurgãt
Psal. castra, si decies, centena castrorũ millia, si
26. exurgat, bellũq; nobis indixerit satan, cũ
vniuersis iniquitatis suæ mẽbris, & copijs:
non est quód nobis metuamus à facie perse-
quẽtium, quãdoquidẽ a dextris astas nobis
Psal. dominus, & protector: refugiũ, & adiutor
17. in tribulationibus, firmamẽtum, robur, for
titudo, & spes nostra, cornú salutis nos-
træ, corona gloriæ nostræ, susceptor, libe-
rator, & salus nostra. Si tu pro nobis, quis
Ro. 8. cõtra nos? Qui te habet adiutorẽ, is habi
Psal. tat in protectione dei altißimi: te pro nobis
90. pugnãte, te protectore, cadent a latere nos
tro mille, et decem millia a dextris nostris,
ad nos autem appropinquare nõ audebunt,
Psal. quoniã tu confringes, & comminues illos,
17. tanquám puluerem ante faciem uenti, &
Ro. 8. tanquám lutum platearũ delebis eos. Si tũ

pro

pro nobis domine, quis contra nos? Te precamur itaq; domine rex oĩpotens, & pater benigniſsime, pro tua ineffabili pietate, & inexhauſta miſericordia, ne inducas nos in tentationem, nẽ tam periculoſo certamini, cum aduerſarijs tam inſtructis, & potentibus, committas indefenſos: ſed pro tua inexpugnabili potentia, et uirtute, libera nos a malo. Quia tuũ eſt regnũ & potentia, & gloria in ſecula. De tua erga nos paterna beneuolentia, nihil dubitantes, ad quã omnis affectus quãlibet paternꝰ in his terris, quodãmodo uileſcit (in amoris tui pignus, et teſtimoniũ, quod habebas in ſũmo precio, filiũ vnigenitũ quẽ diligebas vnice vſibus noſtris totum impendiſti) deq; tua inexpugnabili uirtute, atq; oĩpotenti potentia, certi: cumq; perſuaſũ habeamus, quod pari cũ beneuolentia, ſis potentia, & cum poteſtate beneuolentia, erga nos prẽditus: ſũma

AMEN.

et cõstanti fiducia, sicut nos docuit, iussitq; filius, corde simul et ore ad hanc nostrã quã offerimus precationẽ, in conspectù tuæ immensæ bonitatis, & maiestatis optimæ, addimus, ac dicimus.

AMEN.

ETERNE DEVS, exercituũ domine, & in cœlis pater benignißime, creator, rex, & conseruator omnium, quãdoquidem hæc tuorũ filiorum vota (quoniam sic tuæ placuit inexhaustæ bonitati, ut pater velis à nobis compellari, & nos filiorũ haberi loco, ĩdignos qui seru. dicamur tui) iuxta formam, ab vnigenito tibi vnice dilecto, Christo IESV Domino nostro prescriptam sunt concepta: et ex cordibus humillimis, contritis, & pœnitentibus, ac de tua pendentibus misericordia, & bonitate,

de

deprompta: perſuaſiſſimũ nobis habemus, citra omnẽ dubitationẽ, te hanc noſtrã audire, & exaudire orationẽ. Tuo quidẽ iuſſu ad orandum extimulamur: non mandaſſes, niſi velles exaudire: quin & precandi formã præſcripſit filius vnigenitus: (qui vnius tecum & voluntatis eiuſdem eſt) iubẽs te patrẽ compellare: pollicitus, daturũ te, quicquid in ipſius nomine credentes, poſtulemus. Quin & ſpiritus ſanctus ad te interpellandũ, noſtros excitat animos, infirmitatem noſtram adiuuans: quoniam nos ſicut oportet orare neſcimus, ipſe autẽ ſpiritus tuus in cordibus noſtris, nos interpellare facit, & clamare, Abba pater. Itaq; de exauditione non eſt quòd dubitemus, quoniam ſpiritus ueritatis eſt: & filius ipſe veritas eſt: & tu pater cœleſtis cũ filio, et ſpiritu ſancto, unus es deus vnus dominus, ut omnipotens, ita amantiſſimus

Io.14

Ro.8

Gal.4

Io.14

5458

benigniſsimus, ipſa charitas, idem ab æterno, & in ſempiternũ conſtans, qui es: ueraciſsimus, & ipſa ueritas, qui nec fallere, nec falli potes. En ad importunitatẽ, te interpellamus, miſericordiæ pater in cœlis benigniſsime. Homo circũdatus ĩfirmitate, iudex aliquãdo licet iniquus, viduam tamẽ exaudit, importune clamãtem: Multo magis tũ nos exaudies, qui es pietatis, amoris, & bonitatis fons inexhauſtus. Perſuaſum habemus te noſtram haud reſpecturũ indignitatẽ, qui mulierem cananæam, canem illam, te petentem, non deſpexiſti: ſed poſtulata, illi benigne tribuiſti. Nos itẽ licet indignos, haud deſpicies, qui omnium ſeculorũ idem ipſe deus es. Tua quidem benignitas, ſpem mihi, & fiduciam addidit impetrandi, quæ peto, mortaliũ parentũ exemplo, inter quos, nemo tam inhumanus, aut crudelis, inuenitur, qui filio petenti panem,

lapi

lapidē porrigat, pro piſce ſerpentē, aut pro ouo ſcorpionem. Quin & carnalis etiam pater, filium licet prodigum, paternæ ſubſtantiæ decoctorem, pœnitentem tamē, ac gratiam, & miſericordiā implorantē, non reiēcit, ſed cum gaudio inter amplexus recipit, & obuīs ulnis excipit oſculo. Quāto magis tu pater miſericordiæ, ex quo omnis paternitas, in cœlis, & in terra nominatur, ad cuius amorem, omnis dilectio eſt tanquam odium, ſpiritum bonū te petentibus es daturus. Qui quod habebas in ſummo precio, dediſti filium vnigenitū, ad mortē crucis, in ipſius nomine te petentibus, quæ tibi in gloriā, et nobis ſaluti eſſe poterunt, haud negabis. Multa, & magna quidē petimus, ſed ex te pater quem decet magna dare, qui ter maximus es, vſquequaq; optimus, vſquequaq; benigniſsimus, & per eum quē noſtris vſibus totum impendiſti, (qui tecum,

Mat. 7.

Lu. 15

Mat. 7.

Ro. 8.

&

& ſancto ſpiritu, unus, idemq; Deus eſt, & dominus) filium vnigenitũ. In cuius nomine hanc noſtram precationẽ, ex intimis mẽtium noſtrarũ receſſibus, & cordium penetralibus, coram te effundimus, tuæ prouidentiæ, tuoq; arbitrio, relinquentes, quomodo, & quando, dandum quod petimus prout tuæ viſum fuerit bonitati. Neq; locum, neq; tempus, neq; modum præſcribimus: tuæ hęc omnia relinquimus ſanctiſſimæ uoluntati, qua longe melius omnia diſponis quám nos uel petere nouimus, uel optare. Magna ſunt quæ petimus, ſed ab optimo, maximo, ex te qui dominus, deus, et pater noſter es. Vt poſtulemus urget neceſſitas: rerum quas petimus ſumus indigi: res ſunt imprimis neceſſariæ, nos pauperes ſumus, & inopes. Tu diues: bonorum omnium, & diuitiarum, copiæ cornù, omnem poſſidens plenitudinem. Petimus non in uir

tute nostra, & in iusticijs nostris, sed tuæ fidentes bonitati, quatenus quod petimus, tibi queat cedere in gloriam, & nobis in salutem. Non in iustificationibus nostris Da.9. prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis: idq; in nomine filij tui vnigeniti, IESV Christi, in cuius nomine petentes, non auersaris, sed exaudis, pro tua misericordia. Petimus ex te pater, tuæ fidentes, ac innitentes promißioni, ueluti anchoræ sacrosanctæ, ac firmißimæ, quæ nulla ventorum, nimborum, aut procellarum, ui, nulla uirtute, aut potestate, uel supera, uel infera, loco moueri, aut gradù deturbari potest. Tua domine promißio, est illa fidei sacra ancho-ra, qua nitimur constantißime. Qui Dauidem pœnitentem, flentem Petrum, Magdalenã lachrymantẽ pietatis oculo respexisti,

et peccatis ex-

misericordia condonatis, in gratiam recepisti: qui clamante ad te Moyse dum preliū iniret Ioſue, tuo populo tribuiſti victoria: & eodem orante, ignem, murmurantiū caſtra deuorantem, extinxiſti. Quiq; orante helia continuiſti cœlum ne plueret ſuper terram, annis tribus, & menſes ſex: rurſus eodem te deprecante, dediſti pluuiam de cœlo, & terram feciſti ſuum fructū dare. Idem ipſe daturus es nobis, dubio procul, quod ex corde humili, contrito, pœnitenti, tuæ ſanctiſſimæ fidem habentes promiſſioni, in nomine IESV filij tui vnigeniti, in ſpiritu, & veritate, poſtulamus. Quoniã non illorum tantum ſeculorum, neq; hodie tantum, aut heri, aut cras, aut alicuius tẽporis quod finem habet, quãlibet diuturni, ſed omnium ſeculorum, temporũ, & ætatũ, & omnium hominũ tibi fidentium, ab æterno, & in ſempiternum, idem ipſe deus es,

Exo. 17. Nu. ii. 3 Re. 18. Iac. 5. Heb. ii

qui

qui ad te clamantes, pro tua bonitate ſoles exaudire. De tua promiſſione dubitare, neq; debemus, nec audemus, id enim eſſet impiũ: (merito itaq; hęſitantes nihil impetraremus) neq; item poſſumus, modo quam dediſti fidem, digneris conſeruare: quod donum non ſeruaturum ſolum te, ſed in dies, magis, ac magis, nobis adaucturum, ac perfectiorem, ſolidioremq; redditurũ confidimus domine. Quomodo poſſumus de tua indulgentia, & bonitate dubitare: cum non ego, aut noſtrum quiſquam ſeorſum, & priuatim oret: ſed vna nobiſcum omnia eccleſiæ tuæ mẽbra, ipſa vniuerſalis eccleſia ſpõſa tua tibi dilectiſſima: cum pro nobis interpellet filius à dextris tuis vnigenitus, qui orandi formã, qua tuam interpellamus paternitatẽ, nobis præſcripſit. In cuius nomine nos orare iuſſeras: ipſe enim filius iuſſit: tua equidẽ, & ipſius voluntas vna eſt: Eph. 2.

5458

Mat. 7 promittens orantes, te exauditurum. Spiri
Io: 14. tus item tuus nos ad te clamare facit Abba
Ro. 8. Pater, testimonium prebens spiritibus nos
Gal. 4 tris, quòd nos sis exauditurus. Fidelis es,
& ipsa veritas, teipsum negare non potes.
Itaq; persuasissimũ habemus, citra omnem
dubitationem, apud te nos exauditos iri, ac
impetraturos, quod ex te petimus, de tua
pendentes gratia, & promissione, in nomi-
ne filij tui vnigeniti, IESV CHRISTI,
Domini nostri, cui cum te Patre, & san
cto spiritù, in personarum Trinitate
vni soli deo, & Domino, bene-
dictio, claritas, gloria, laus,
& honor, gratiarum ac-
tio, virtus, potestas, tri-
umphus, et imperium,
in omne æuum.

AMEN.

MEDITATIONIS PATRICII Cocburni Scoti in Dominicam Orationem, Epitome.

¶ AD Illustrissimam Reginam, MARIAM: Scotiæ Regentem.

CAELI, et terræ, rerumq; omnium visibilium & inuisibilium, conditor, moderator, & Rex: misericordiæ Pater, consolationis, & indulgentiæ deus, æquitatis iudex amātissime. Peccator ego omnium miserrimus, et ingratissimus, indignum me confiteor, qui in cœlum, oculos, manùsuè sustollam, nedū qui patrem, aut deum seù dominum te debeam appellare, rebellis, fœdifragus, indignum onus quod uel ipsa ferat terra. Patrem te appellare non auderem, imo né dominum

Pater.

5458

quidem meum nisi iuberet filius (qui nihil iubebat vnquam, nisi quod scirret tibi gratissimū fore) bono animo esse, & te patrem compellare: indulgentissimū te esse docens, nihilq. negaturū, quod in ipsius nomine, credentes, abs te postulamꝰ. Ipso itaq. filio authore, monente, et iubēte ad thronū me confero tuæ gratiæ: et in ipsius nomine indignus licet sim, qui seruus dicar, te oro tamē, teq. iterpello pater, NOSTER. Omnia mecū ecclesiæ tuæ mēbra, et ego cū oībus pijs, et sanctis tuis in his terris, consona voce, in vnitate spiritus, et fidei, te inuocamus, pater noster, flagitantes, tua quæ petimus beneficia, oībus ex æquo communia fore, tanquā vnius patris filijs communibus. Pater noster, QVI ES, ille solus, qui ab æterno, et in sempiternū idem semper manes, qui es. INCELIS, omnia lustrans, omnia cernens, incomprehēsus, omnia complectens, gloria, potentia, et maiestate sūmus, Rex

Noster

Qui es.

In celis.

regũ, & dominus dominantiũ, ambiens, rotans, versans, viuificans, vegetans, alens, sustentans, et gubernãs omnia. Neq; de tua erga nos beneuolentia, qui nobis es pater, neq; de potentia dubitamus, qui in cœlis dominus es, & deus omnipotens. Petimus itaq; ex te pater, quod nos petere cum primis decet, quòdq; nobis apprime est necessariũ: ut tuũ scilicet Nomen sanctificetur: ut virtus, potentia, gloria, maiestas, sapientia, veritas, iusticia, bonitas, amor, & misericordia tua mũdo inclarescat. Vt mũdus totus te vnũ, solũ deũ, & dominũ reuereatur, tibi fidat, te colat, amet, veneretur, adoret. Sanctificetur, et separetur nomen tuũ ab oĩbus nominibus, ut intelligant oẽs homines, omnia nomina quæ nominãtur, nisi á tuo nomine, lumẽ, gloriã & sanctitatẽ acceperint, sordida, & profana esse: ut omnis honor, & gloria, tuo cedat nomini glorioso. Facessat omnis impietas,

Sanctificetur nomen tuum.

hypocriſis, ſuperſtitio, hęreſes, doctrinæ prauæ, et quæ veritati aduerſantur omnia. Mitte operarios in meſſem tuam qui verbū tuum ſyncere, verèq; ad nominis tui gloriam nobis annuncient. Lucis tuæ radijs mẽtium noſtrarum tenebras diſcute, cordaq; noſtra tua gratia digneris illuminare, ſic, ut quæcunq; uel cogitamus uel loquimur, aut operamur, tui nominis dignitati, & gloriæ reſpondeant. Et quia fieri non poteſt, ut nomen tuum mũdo inclareſcat, quamdiù mũdus totus in malo poſitus eſt, illiuſq; mali malorum omnium principis, & authoris, diaboli, regitur arbitrio: tú cœleſtis pater, deturbato de poſſeſſione ſatana, exime quos captiuos tenet. Tu regni ſuſcipe gubernacula, regemq; agas, inter nos, & dominũ: ſubiectos nos habeto tibi: regens, gubernans, & defendens, pro tua bona voluntate. Ab illius mali, & illius ſatellitum, ui, & tyrannide, qui eccleſiam tuam conã-

Adueniat regnũ tuũ.

tur

tur labefactare, nos tueri, liberare, & conseruare digneris, domine deus, pater benignissime. Vel illorũ miserere, ut tua gratia, tuam tum iusticiam, tum bonitatem agnoscentes, vna te nobiscum colant: aut illorũ furorẽ, et tyrannidem á nobis auerte, vires illorum contere, comminue, nè quid nocere ualeant ecclesiæ tuæ mẽbris. Aduenìat tandem cœlestis pater regnum gloriæ tuæ quod electis ab origine mundi paratì: in quo extinctis carnis concupiscẽtijs, atq; omni tentatione, et mũdi, & diaboli, superata, sine ulla inquietudine & molestia, lætìcia tecum fruamur & gloria finẽ non habitura. Atq; interim regnũ gratiæ tuæ hic inchoato, illudq; perfice in dies magis ac magis, donec hereditatem in regno gloriæ, quod expectam⁹, tua benignitate consequamur. Et quia sanctissimũ, & integerrimum regem, decet irreprehensibiles habere ministros, suppliciter per tuũ nomẽ adorandũ

Fiat voluntas tua.

ob

5458

obsecramus, ut te rege nos dignos ciues efficere digneris. Fac ut ea tantum velimus, cupiamus, ijs solis delectemur, quæ te rege nostro digna, tuæq; sanctissimæ voluntati, grata sunt, & placentia. Nostra voluntas praua, tuæ semper repugnare studet. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, sic, ut non quæcũq; volumus, cupimusq;, eadem faciamus. Pro tua itaq; misericordia operari digneris in nobis, & velle, & perficere, ut ea velimus, & cupiamus, lingua & opere exequamur, quæ tua exigit voluntas, non quæ nostra concupiscit. Quoniam scimus te nihil posse velle, nisi quod est optimũ, et hoc ipso, optimũ esse, quod tibi placitum. Tua voluntas fiat, et ut fiat, ut nos velimus facito, qui corda scrutaris omnium, eaq; in tua habens manù dirigis, & inclinas, quo vis: ut tuo semper imperio, & voluntati pareamus, hic in terra, (quoad eius per infirmitatem carnis fie

ri

ri poteſt) ſicut Angeli & ſpiritus illi cœleſtes, nihil faciunt, moliuntur, aut cogitant, niſi quod illius regni ciues deceat, req; rege, & domino vndequaq; ſit digniſſimũ. Panem nostrũ quotidianũ.

Et niſi corporis etiam ſaluti tua benignitate proſpexeris, vſqueadeo eſt fragile, tot infirmitatibus obnoxium: animus, illius, mole præpeditus, nequit nomen tuum, tuamq; maieſtatem, & paternam in te ſperantes beneuolentiam, ea qua decet reuerentia, celebrare, colere, prædicare. Tuam itaq; obſecramus bonitatem, qui tua beneficentia cœlum imples, & terram, ſemper manens ditiſſimus: da nobis, licet ingratis, licet indignis, licet ſupplicium potius, quàm beneficium promerentibus, panem noſtrum quotidianum, panem nutritiuum: ea omnia quæ ad hanc vitam tuendam, & conſeruandam ſunt neceſſaria, quò ſimus aptiores, & expeditiores

ad

54558

ad ea meditanda, et perficienda, quæ tuæ grata sunt, et accepta voluntati. Da victũ, amictũ, et ea quibus ista nobis parari solẽt, tempora frugifera, aeris salubritatẽ, frugum ubertatem, corporis vigorem, et sanitatem, quò vocationi inseruiendæ, et victui parando sufficiamus. Et ea sine quibus, hic panis quem ex te petimus, conseruari, prodesse, et vsui nobis esse nèquit: da pacẽ, modestiam, patientiam, iustitiã, tranquillitatem. Da principes, et magistratus pios, sanctos, fideles, pacis, et æquitatis amãtes, tui numinis, & religionis sanctæ cultores, & defensores: qui abdicatis susurronibus, & adulatoribus, sanis consilijs acquiescant. Fac populum regibus, et magistratibus morigerum, et obsequentem, ut dum suæ quisq; vocationi studet inseruire, beneficijs à te acceptis liceat frui cum gratiarũ actione. Et quia non multum proderit hic panis, quo alitur et sustentatur corpus, nisi reficiatur

etiam

etiam, & ſuſtentetur animus: da pro tua benignitate nobis panem ſuperſubſtantialẽ: tuæ per verbum tuũ diuinæ voluntatis, iuſticiæ, et miſericordiæ cognitionem: panem vitæ quo reficiuntur, aluntur, et conſeruantur animæ, tuæ fidentium bonitati. Hunc panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. De craſtino nõ ſumus ſoliciti, ſcientes, ijs, quos hodie paſcis, craſtinum panẽ haud defuturum, modo ſecundum uocationẽ in qua vocati ſunt, tibi fideliter inſeruientes, ex te benedictionem, de cœlis expectent. Petim⁹ pater in cœlis ex te panem nobis dari: ſed qua fronte, qua audacia, qui toties ac tam enormiter tuam offendimus maieſtatem, ingrati, fœdifragi? Peccatores nos eſſe, ingratos, rebelles, tuiſq; beneficijs indignos fatemur domine (peccata ſiquidem noſtra numeroſiora ſunt arenis in littore maris, atq; vndis ſęuientis pelagi crebriora) uerum tu dignus tamen, qui miſericordiæ pa-

Remitte nobis debita noſtra

ter

ter es, qui nobis ignoscas, peccata nobis condonans & remittens: dignusq; filius propter quem remittas, qui pro remissione nobis impetranda factus est tibi obediens ad mortem crucis. Noli itaq; nostrarum iniquitatum multitudinem respicere sed tuæ misericordiæ magnitudinẽ, & filij obedientiam, non quid nos promeruimus, sed quid ille tibi dilectissimus apud te nobis sit promeritus, expendens: & propter ipsum filium remitte nobis debita nostra, & miserere nostri. Nam quid hic panis quem ex te petimus nobis sit profuturus, nisi debita remiseris, plane ignoramus: cum, nisi debita remiseris, finis sit gehenna. Pro tua itaq; misericordia et propter filiũ vnigenitum remitte nobis debita nostra: siquidem & nos remittimus debitoribus nostris: quandoquidem remissionem noxæ, & iniuriæ à proximis illatæ, remissionis, & indulgentiæ, offensæ in te nostræ testi-

Luc. 11

mo

monium esse voluisti. Remitte pater, sicut remittimus, gratiam tuam & spiritum, quo nos ex animo nos offendenti remittere valeamus, pro tua inexhausta misericordia digneris impertiri, quo reddamur, de tua erga nos indulgentia confirmationes. Remitte nobis pater misericordiæ pro ineffabili tua bonitate, & propter filium vnigenitum: sicut nos pro modulo infirmitatis nostræ remittimus. Remitte nobis sicut ecclesia tua sponsa te nobiscum orans (cuius membra sumus) remittit: & sicut ecclesiæ tuæ caput filius nunc á dexteris tuis sedens, & interpellans pro nobis, remisit debitoribus: qui pro se crucifigentibus orauit in cruce pendens: & secundum tuam immensam misericordiam, & bonitatem miserere nostri. Et quia hostes nostri qui nobis aduersãtur, caro, mũdꝰ, et diabolꝰ a dexteris et sinistris, ppetuo nobis insidian

Oran-
di modũ,
illi, qui
per in-
iuriæa-
trocita-
tem nè-
quit re-
mittere
præscri
bit me-
ditatio.

Et ne
nos in
ducas
in tenta-
tionem.

insidiantes, sunt potẽtes, ualidi, et ad perniciem instructißimi, nos autẽ imbelles, et infirmi, nê nos ĩducas in tentationẽ. Nè tentationi, et tam graui periculo cõmittàs indefensos. Non petimus nè nos tentes, (quoniã electos, sicut aurum in fornace, probare soles) sed nè ob nostram iniquitatẽ, & ingratitudinẽ nos a te reiicias et pro derelictis habeas: quandoquidem contra hostium tam potentium uim tantam, nisi tua nobis dextera succurras, subsistere non ualemus. Te autem protectore, non est quod metuamus a facie persequentium. Si tû pro nobis, quis contra nos? Preçamur itaq; pro tua clementia nè tentationis periculo committas indefensos sed dextera tua digneris subuenire. Tû pro nobis pugna domine deus noster, & libera nos á malo. A malorum omnium principe, et authore diabolo, & ab omnibus malis, quæ malus ille in perniciem nostram studet inferre, tum corporis, tum

Ro. 8

Libera nos a malo.

animæ, præsentibus, & futuris, tẽporarijs, et æternis. Hoc enim pro certo habemus, eũ non posse quicquàm aduersũ nos, nisi quatenus tua permittit æquitas. Quia tuũ est regnum & potentia, et gloria in secula.

Amen. ☞ Magna petimus, indigni, rebelles, inimici, sed à magno & per magnũ: á te deo patre nostro, optimo, maximo, per nostri amantissimũ (quem nostris vsibus totum impendisti) filium vnigenitũ, summũ regem, et sacerdotem nostrum: quem, cum in diebus carnis suæ, preces cum lachrimis ad te, & clamore valido offerentẽ exaudisti pro reuerentia: ipsũ nunc á dexteris tuis sedentẽ, et pro nobis interpellantẽ exaudis pro tua clemẽtia. Persuasissimũ itaq; habemus, te hanc nostram audire, et exaudire oratiõnẽ propter filiũ vnigenitum, qui pro peccatis nostris semetipsum obtulit hostiam placẽtẽ, et placantẽ, factus tibi obediẽs ad mortem crucis. AMEN.

Heb 5

☞TYPOGRAPHVS PIO LECTORI.

¶MIRVM tibi videri non debet, si in prima operis editione, quædam intercidant, nonnulla inuertantur. De ijs itaq; ne quid legenti sit in mora, admonendum duxi.

☞LEGE

¶Folio. xi. pagina .i. uersu .v. tuus.
Fo. xii. pa. ii. uer. ix. veneretur.
Fo. xxix. pa. ii. uer. iiii. scrutaris.
Fo. xxxvi. pa. i. uer. xiii. pro. luxú insolescamus. lege. insolentius nos geramus.
Fo. xxxviii. pa. i. uer. xxvii. siniſtram.
Fo: xlii. pa. i. uer. finali. inquietudo.
Fo. xliii. pa. ii. uer. xvi. charitatis.
Fo. lxi. pa. i. uer. xvi. huius.

¶Si qua alia inter legendū occurrent, pro tui ingenij candore corrigito. VALE.

☞Excudebat Ioannes Scott.

.1555.

C. P. R.

5458

Cockburn, P.